


CODEX PEROTTINVS MS.

REGIAE BIBLIOTHECAE NEAPOLITANAE

Duas et triginta PHAEDRI Fabulas iam notas, totidem Novas, sex et trigiuta AVIANI vulgatas, et ipsius PEROTTI carmina inedita continens,

Digestus, et editus

A CATALDO IANNELLIO

EIUSDEM REGIAE BIBLIOTHECAE SCRIPTORE,

QUI

Variantes etiam Lectiones adposuit; tum deficientes et corruptas tentavit.





NEAPOLI 1809.
EX REGIA TYPOGRAPHIA.

LECTORI CANDIDO ET BENEVOLO

CATALDUS IANNELLIUS

S.

Minime mirum debet tibi videri, candide Lector, quod modo Librum hunc recipias, quum tertius abhinc annus in Epigraphe sit inscriptus. Tum enim revera excusus est, et illud deinceps maxime obstitit, quin tu ocyus eum receperis: quod nempe nos omnia unâ simul edere volebamus, tresque longas in Perottinum Codicem Dissertationes omnes praefigere non postponere in animo prorsus erat: quamobrem earum paginas Romanis non Arabicis notis fecimus numerari: Atqui vero Regiis Typographis in alia et graviora subinde incumbentibus, istud quidem Opus interrumpi necesse fuit, et plane sensim excudi. Attamen quum priores Perottini Codicis partes, nempe Phaedri Fabulas tum Veteres, tum Novas duobus fere abhinc annis excusas iam fuisse plures scirent, monerentque saepius tantâ morâ et diuturnitate doctorum Virorum exspectationem lassari non sustineri: Quumque re maturius perpensâ viderim Dissertationes illas nostras subsequi Codicem recte posse, atque in alterum iustum volumen coniici: ideo tandem, aliis etiam et gravissimis caussis, quae hic modo promi nequeunt, accedentibus, et Perottinum Codicem integrum quidem vulgamus, haud multo post et illas Dissertationes edituri: Quarum primâ de Perottino Codice, de sua historia, auctoritate, conditione in universum agitur, tum de iis quae in eo edendo praestitimus: Alte-

terâ ostenditur Phaedrum esse Auctorem Fabellarum novarum : Tertiâ tandem Petronii Arbitri aetas constituitur, ut gravissima difficultas de Phaedro Fabellarum novarum auctore tollatur, alioque argumento firmetur Phaedrum revera esse auctorem earum Fabularum. Id potissimum monitum te, Lector, voluissem, sed aliud insuper est, quod te non latere aequum est.

Noster in Perottinum MS. Codicem labor absolutus plane iam fuerat, Fabellaeque noviter detectae et exscriptae non modo a pluribus doctis Viris perlectae fuerant, verum etiam Typographis Regiis, Regio decreto (*) tradirae iam iam excudebantur: Quum ecce tibi paucularum pagellarum libellulus, quo istae ipsae Fabulae a I. Ant. Cassitto editae ferebantur. Perculit res illico animum, non quod nescio quae gloriola mihi praeripi videretur, verum quod sat longum temporis spatium in evanida et corrupta scriptura et labore animi, et dolore oculorum trivisse iam frustra et perdidisse autumarem. Numquam enim tam molesto operi manum admovissem, si iam ab alio absolutum, vel saltem occupatum sensissem. Attamen libello semel ac iterum perlecto, non modo insumti et tolerati laboris amplius non poenituit: quin, dicam etiam, non leviter de eo mecum fui gratulatus; ita quidem ut, si umquam antea eum utilem fore ratus fueram, tunc opportunissimum factum, immo plane necessarium iudicarem. Fabellas enim a Cassitto editas tantum a genuinis Phaedri Fabulis, atque a fide Perottini Codicis abire et discrepare comperi, ut e Regiae etiam Bibliothecae decore, atque e munere nostro esset, ut genuinae Fabulae, vel saltem sincerae Codicis lectiones, quas nos singulari amplissimorum Praesidum iussu descripseramus, illis omnino opponerentur. Et re quidem vera, primum in Cassitti editione plures versiculi, qui facile in Codice leguntur integri desiderantur. Tum fragmenta innumera, verba, syllabae, literarum elementa, vestigia, ex quibus saepe saepius vel certissimae lectiones eruuntur, omnia absunt. Tertio in ipsas perspicuas et manifestas Co-

(*) Mens. Novembr. 1808.

Codicis lectiones plura sibi permisit Cassittus, ut lectionibus forte a se suppletis inserviret. Quarto Fabellarum argumenta, quae pedestri sermone, et stilo quidem saepenumero a Phaedriano abhorrente Perottus confecerat, in nescio quos ipse iambos coercuit, et Auctori saepius obtrusit. Tandem sive suo, sive alterius errore permutatis formis et typis plura, quae Cassitti sunt Phaedro tribuuntur, et quae Phaedri sunt perinde ac a Cassitto reposita exhibentur. Quibus de caussis factum est, ut Fabellae tam insigniter immutatae, totque supplementis, ut vocant, et interpolationibus semper a Phaedri mente, atque stilo abhorrentibus infertae, ex parte corrumperentur, ex parte plane aliae et diversae verbis et sententia fierent. Id vero nemini sit mirum. Etenim non ipse Cassittus Fabellas ex Perottino Codice exscripsit, non excussit, non perlegit, sed Frater eius tum in Regiam hanc Bibliothecam ad evolvenda Liturgica et Theologica MSS. aliquamdiu ventitans, per nescio quot dieculas, et quidem celeritate summa raptimque, ut mihi est relatum, excerpsit. Quin Cassittus vix semel omnino, et quidem Cl. Andresio indicante, Codicem vidit: Eius vero editionis Curator numquam prorsus, quod et mihi fassus est. Ita igitur Fabellas ex evanida, corrupta, fugiente scriptura, raptim etiam cursimque ab alio descriptas, ipse in Hirpinis degens, et festinus quoque ut nos praeverteret, supplere, emendare, restituere, et edere Cassittus est ausus; editionis etiam cura ei demandata qui ne corticem quidem libri noverat. Quae omnia quum nota essent, cunctique in Editionem nostram arrecti fuissent, libellulus iste Cassitti penitus fere intercidit, nec de eo per tam diuturnum temporis spatium quaesitum, agitatum, disceptatum quidpiam est. Quamobrem eo diutius fui proposito, ut super hac re absolutum silentium servarem: Quum potissimum nec Cassittus ipse deinceps, nec Frater, nec editionis Curator, neque alius quivis umquam, praeter me unum ad Codicem Perottinum legendum, versandumque accesserit: eo sub sera et clavi, ut par erat, a me ipso iugiter custodito. Verumtamen quum comperissem eius libelluli exemplaria Parisios usque et in penitiorem Germaniam missa: quum Editio nostra tamdiu retardata fue-

fuerit, ut diximus, ne in me iniquius forte iudicium proferretur, vel in amplissimos Viros Praesidesque nostros, quos ut fautores, et patronos operis nostri in Dissertationibus laudavi, haec pauca monere in vestibulo Libri operae praetium esse existimavi. Tu interea, Lector, quidquid haec sint, utere potius novis Fabellis Phaedri, et perpetuum super eas commentarium iam magna ex parte excusum a nobis in dies, si quid haec te iuvant, expecta. Vale.

Ex Regia Bibliotheca Idibus Februarii 1811.

ADDENDA VEL EMENDANDA

Pag. 20. Columnâ 1. lineâ 14. Post *tueatur* adde: Verum, fatendum est, etsi non tueatur, quum lectio Codicis graviter in metrum peccet, a vulgatâ recedendum non est.

Pag. 22. Col. 1. lin. 5. *Qui*: lege *Quid*.

Pag. 26. Col. 2. lin. 8. Post *praesefert* adde: Sed vulgatum leges carminis servat.

Pag. 32. vers. 6. *Fortuna*: lege *Fortunae*.

Pag. 40. Col. 1. lin. 15. *videntur*: lege *videtur*.

Pag. 46. Col. 2. lin. 9. Post *producat* adde: (ubi tamen Creticus in Iambis recipiatur) lin. 15. Post *adgressus est*: adde: Id quidem quoad sententiam. Nam Phaedriano metro spectato vulgata lectio tenenda est. lin. ult. Post *usurpari*: subiunge: Non dixerim tamen Phaedrum omnino *lusciniae*, non *luscinii* hîc scripsisse. Nam praeter auctoritatem vulgatae lectionis, quum e vestigio in Codice sit *illum*, non *illam*, revera *luscinii*, non *lusciniae* a Phaedro fuisse videtur.

Pag. 128. Col. 2. lin. 3. *Iulianum*: lege *Iuliarum*.

Pag. 138. Col. 1. lin. 3. *Tum*: lege *Sum*.

Pag. 141. Col. 2. lin. 33. *Ligarit*: lege *Ligurit*.

Pag. 148. Ad Titulum Fabellae XVI. adde argumentum Perotti, Operarum incuriâ omissum: *Quam noceat saepe verum dicere*.

Pag. 156. Col. 1. lin. 21. *Impendant*: lege *Impendeant*.

Pag. 172. Col. 1. lin. 20. *alterius*: lege *altero*.

Pag. 174. Col. 2. lin. 10. *Voluntatem tuam*: lege *voluntati tuae*.

Pag. 176. Col. 1. lin. 21. *Asconderet*: lege *absconderet*.

Pag. 199. Col. 1. lin. ult. Et pag. 211. Col. 2. lin. 17. *Cange*.

Pag. 230. Col. 1. lin. 9. *Omno*: lege *omnino*.
Pag. 260. v 18. *Credita*.
Pag. 267. lin. ult. *Carescimus*: lege *calescimus*.
Pag. 277. lin. ult. Post *verba Codicis* : adde : Quibus caveat Lector innui Fabellas ad Nicolaum Perottum pertinere. Nam Index quidem Perotti dicitur, quod verum est, non Fabellae. Verborum ordo est: Perotti index Fabellarum, nempe in Fabellas: non index Fabellarum Perotti, quae nuspiam fuerunt. Verum his de rebus abunde in Dissert. I. de Auctore Fabularum Novarum actum est.

CATALDI IANNELLII
IN PEROTTINUM CODICEM
PROLEGOMENA.

DISSERTATIO I.

QUA

DE PEROTTINO CODICE IN UNIVERSUM AGITUR, DEQUE IIS QUAE IN EO EDENDO SUNT PRAESTITA.

I. Nicolaus Perottus Archiepiscopus Sipontinus vir praestantis ingenii, doctrinaeque, ut sua ferebant tempora, singularis, multa scripsit, quibus latinas literas a longo veluti exsilio paullo ante primum revocatas iuvare atque instaurare pro virili est conatus (1). Inter ea autem fuit Aesopiarum Fabellarum Epitome, quam in usum potissimum Pyrrhi fratris filii ex veteribus Auctoribus concinnavit. Id quidem operis adolescens adhuc, semet tradente (2), adgressus, publicam deinceps in lucem edere constituerat (3): Verumtamen sive munerum, quae gessit amplitudine et varietate distentus (4), sive morte haud bene maturâ prae-

(1) V. Ferdin. Ughell. Ital. Sacr. Tom. VII. n. 36. p. 1167. Apostol. Zenum Differtaz. Vossian. Tom. I. §. XLVII., I. A. Fabric. Biblioth. Med. et infim. Latinit. Libr. XI.

(2) In Cornucop. p. 999. Edit. Aldi 1513. Forte circa ann. 1450.

(3) In Prolog. Epitom. v. 4. et 10.

(4) V. Zenum loc. cit. Ludov. Iacobill. Biblioth. Umbr. III.

reptus (1) propositum suum non perfecit. Neque vero post eius obitum a Pyrrho fratris filio, a quo omnia expectari posse videbantur (2), nec a quovis alio, cui forte libellus obtigerat id negotii curatum umquam fuit. Quin tam oblita et ignota iacuit huiusmodi Epitome, ut penes eos ipsos, qui datâ operâ de Perotti scriptis tum egerunt, ne tituli quidem argumentive illius vestigium appareret. Tum autem primum de nescio quo fabellarum Perotti libro tenuis surrexit rumor, quum iam fabellarum Phaedri libelli a clarissimo Viro Petro Pithoeo in lucem emissi fuissent (3). Tum enim docti Viri fabulam Phaedri (4) in Cornucopia descriptam deprehenderunt (5), ibique Perottum fateri, se eam *in Fabellas suas* ex Avieno transtulisse. Attamen Petrus Scriverius (6), qui omnium primus id observasse visus est, inde potius colligebat, fabellas, quae dicerentur et haberentur Phaedri Augusti liberti, eas ipsas esse, quas *Fabellas suas* Perottus appellaret, quod deinceps Ioannes Fridericus Christius (7), et Stephanus Marchesellius (8), de quibus alibi disseremus (9), pluribus suadere adnisi sunt. Et si qui aliter senserunt (10) Epitom-

p. 210. Hieron. Tirabosch. Letteratur. Italian. Sec. XV. libr. III. c. 5. §. 68.

(1) V. Zenum loc. cit.

(2) V. Praefat. in Cornucop.

(3) Ann. 1596.

(4) XVII. libr. III.

(5) Loc. cit.

(6) Comment. in Martial. lib. III. Epigr. 20. ann. 1610.

(7) Praefat. in Fabul. veter. Aesopic. etc.

(8) Esame della Raccolta Pesarese libr. IV. V. Nuova Racc. di Opuscul. Scientif. e Filologic. Tom. XXIII.

(9) Diss. I. de Auct. Fab. nov. Cap. I. §. X. etc.

(10) V. Anton. Augustin. delle Medaglie Dialog. V. Menagian. Tom. IV. p. 117. Henric. Cannegieter. praefat. in Flav. Avian. etc.

tomen istam dubio procul ne levissime quidem spectarunt. Nec praeterea eam novit Torquatus Perottus Episcopus Amerinus, quamvis omnia Gentilis sui scripta sive inedita et oblita, sive intercepta ac dissipata undique contrahere, unumque in corpus colligere magno studio ac labore conatus fuerit. Etenim Leo Allatius, qui Torquatum familiarem suum honestissimo elogio in Apibus Urbanis (1) exornat, accuratamque ibi collectorum opusculorum tabulam exhibet, de Fabellarum Epitome plane silet. Quin Ludovicum etiam Iacobillum latuit, qui de Perotti libris in Bibliotheca Umbriae (2) sat diligenter agere instituit, ipsamque tandem Apostoli Zeni, Viri hisce in studiis facile principis, diligentiam fugit; quum primum Vossianas dissertationes adgressus fuit (3). Verumtamen quod gentilibus, civibusque negatum fuerat, advena et casu denique est consecutus. Aliquot namque annis a Vossianarum dissertationum editione (4) Iacobus Philippus Dorvillius Belga iuvenis eruditissimus, quum Britanniâ et Galliâ studiorum gratia non semel peragratis in Italia praecipua bonarum literarum parente diutius immoraretur, singulasque fere Bibliothecas nostras diligenter inviseret atque excuteret (5), Epitomen illam in Parmensi delitescentem offendit, pretioque eius cognito a longo situ et pulvere vindicavit (6). A 2 II.

(1) Editis ann. 1632. in Torqu. Perot.
(2) Edit. 1658.
(3) Ann. 1713. V. Giornale de' Letterat. Italian. Tom.XIII. Differt. V. §. 43.
(4) Ann. 1727.
(5) V. Petr. Burmann. maior Praefat. in Phaedr. cum Comment. novo, et Petr. Burmann. iunior. Oration. in obitu Phil. Dorvillii.
(6) Burmann. mai. Praefat. cit.

II. Inerat autem in Perottino Codice tertia fere pars Fabellarum Phaedri editarum, eoque ipso tempore doctissimus Dorvilii civis et amicus Petrus Burmannus maior tertias curas easque ceteris graviores in restituendo, illustrandoque Phaedro impendebat. Itaque sedulus iuvenis ne felix occasio, qua latinas literas haud leviter iuvari posse sperabat, e manibus elaberetur, mature ad eum dedit epistolas, quibus tum de inventa Epitome certiorem reddidit, tum, specimine misso, se ad reliqua exscribenda, si gratum foret, paratum esse significavit. Nuntius, ut par erat, acceptus Burmanno fuit, additusque volenti animus. Ideo ad susceptum opus lubenter se Dorvillius contulit, singularique fide ac industriâ non pauca ex Perottino libello descripsit. Labore absoluto, Excerpta quidem ad Burmannum demissa sunt, sed sive locorum distantiâ, sive aliis ex casibus serius quam optabatur fuerunt recepta. Etenim nova Phaedri editio iam perfecta fuerat, ipsaque praefatio fere integra typis etiam excusa. Quamobrem se omni iam esse in Phaedrum cura laboreque defunctum Burmannus ratus, haud e re sua duxit Excerpta illa pro dignitate excutere atque expendere, omniaque singillatim persequi: verum, ne illius officii gratia tota periret, praefationem, quam diximus, aliquanto produxit, nonnullaque tantummodo ad Codicem spectantia subiunxit: Descriptionem scilicet MS. ex Dorvillii relatu, ipsâque Excerptorum formâ specieque desumtam, tum variantes lectiones ad vulgatas Phaedri fabulas, aliquot suis etiam animadversionibus interiectis (1). Ex quo saltem factum est, ut late per Europam percrebue-

(1) V. Praefat. cit.

buerit Perottini Codicis fama, quam etiam atque etiam deinceps auxerunt Actorum Lipsiensium Scriptores (1), I. Alb. Fabricius (2), I. Aug. Ernestus (3) Henr. Cannegieterus (4), Apostolus Zenus detecto iam Codice (5), Burmannus iterum sub nomine Sinceri Hollandi (6), aliique porro non pauci. At tenuis illa Burmanni opera in Perottini Codicis Excerptis collata, ieiunumque variarum lectionum specimen, supine etiam ac fastidiose confectum doctis Viris satisfacere nequaquam poterat. Ideo illae ipsae Dorvillii Schedulae exquiri, haberique in pretio sunt coeptae. Nec multis quidem post annis sive Scriptum Dorvillii autographum, sive eius exemplar in lectissima Bibliotheca Collegii Ludovici XIV. Parisiis receptum et servatum fuit. Qua opportunitate libenter usi sunt Iosephus Valartius et Stephanus Andreas Philippus, qui elegantiorem Phaedri editionem susceperant (7), ut ad eorum Excerptorum fidem non pauca in egregio Fabulatore emendarent. Deinceps vero Collegio Iesuitarum sublato Dorvillianas Schedulas habuit Gabriel Brotierius, qui ut vir erat elegantis ingenii, iudiciique subacti eam haud omisit occasionem, ut Phaedrum suum, quem exornabat (8), illarum ope ad genuinam lectionem non semel revocaret. Eo autem defuncto ad Nepotis sui manus pervenerunt, sed breve ad tempus servandae. Universâ enim

 Gal-

(1) Ann. 1727. mense Octobr.
(2) Biblioth. cit. in Nic. Perotto.
(3) Ad Biblioth. Latinam Fabric. libr. II. c. 3.
(4) Differtat. de aetat. et stilo Flav. Avian. C. XV. p. 286.
(5) Differtaz. Vossian. Tom. I. §. XLVII. n. 26. Venet. 1752.
(6) In observat. Miscell. ad Auctor. veter. et recentior. Tom. I. vol. 6. p. 266.
(7) Et perfecerunt typis Iosephi Barbou 1747. et 1753.
(8) Edit. Parisiis 1783.

Galliâ paullo post intestinis motibus agitatâ et perturbatâ, incendioque civilis belli flagrante vel penitus aliquo casu interciderunt, vel fuerunt ab improba manu interceptae. Quae iactura gravis sane et acerba doctis Viris extitit, quum potissimum pauca tantummodo ex toto Perottino Codice superessent; neque via saltem pateret, qua is iterum legi, exscribique potuisset. Dorvillius namque et Burmannus de loco quo reperta Epitome fuerat omnino siluerunt; et si Zenus rem aperire visus fuit (1), eum certe, ut paullo post observabimus, sua fefellit opinio. Quamobrem egregius quidam Vir Gallus in Dissertatione de Brotieriana Phaedri editione (2), ex qua non pauca ex superioribus accepimus, data opera de Dorvillianis Excerptis egit, ut harum rerum amatores ad ea invenienda, si fieri poterat, atque edenda hortaretur; iuvaretque.

III. Interea vero ipse Perottinus Codex in Neapolitana Bibliotheca delitescebat, et quamvis anno fere decimo, ex quo repertus a Dorvillio fuerat, Neapolim ex Urbe Parma cum reliquis Farnesiorum libris advectus fuisset, quum diu in arca, ut ceteri (3), sepultus iacuisset, tum modo huc deinceps, modo illuc illatus traductusque fuisset; quin in fronte non *Veterum Fabularum Epitome*, sed *Perotti Fabulae* ab imperitâ et novitiâ manu haberet perscriptum, vix aut ne vix quidem notari observarique a Nostris potuerat: Nec aliud scimus, nisi altero fere post decennio (4) a Petro Rutinel-

lio

(1) Differt. Vossian. loc. cit.

(2) V. Magasin Encyclop. de M. Millin. vol. XXXII. an. VI. Tom. II. pag. 433. et seqq.

(3) V. Marcell. de' Venuti Antichit. di Ercolan. Part. II. Cap. 2. n. 147.

(4) Ann. 1747.

lio Parmensi ipsâ illâ ineptâ Epigraphe in Farnesiorum Codicum Catalogum, qui hîc adservatur, fuisse descriptum. At vero in stabilem tandem formam Regiâ Bibliothecâ constitutâ, librisque in commodum ordinem dispositis Vir praestantissimus Ioannes Andresius amplissimi loci Praefectus Perottinum Codicem nuperrime agnovit, atque iterum ex tenebris et obscuritate liberavit. Nam vidit etiam hoc MS. illud ipsum esse, quod versaverat, et ex parte Dorvillius exscripserat. Quod profecto ut plane exploratum certumque est habendum. Etenim Burmanniana descriptio tota quanta est tam absolute Codici nostro congruit, ut alteri nequaquam aeque convenire posse videatur: Tum lectiones variantes, quae plurimae sunt, ut in Burmannianis Excerptis scribuntur, ut rectae et integrae, ut vitiatae, mutilae, deficientes eodem plane pacto in nostro respondent, et quae tum difficultatem fecisse Dorvillio Burmannus scribit (1), ea ipsa et modo faciunt. Nec mirum est, si in paucis discrepamus. Codicis enim conditione spectatâ mirari potius subit, quomodo in tot conveniamus, quum potissimum Dorvillius gravibus occupationibus distentus, vix ad quinque dies Parmae moratus fuisset (2). Verum quidem est Apostolum Zenum, ut innuimus, scribere (3): ipsimet Vindobonae retulisse Dorvillium, Perottini Codicis copiam sibi Mediolani factam, eumque in Ambrosianâ Bibliothecâ adservari, sed dubitari nequit, quin alteruter doctorum virorum vel alterius verba non recte tenuisset, vel lapsus fuisset me-

(1) Praef. cit.
(2) V. Burmann. Iunior. Orat. cit. in obit. Dorvill.
(3) Differt. Vossian. loc. cit.

moriâ. Quum enim ea de re idem vir clarissimus Andresius epistolas Mediolanum dedisset; responsum est ab erudito et egregio viro Petro Mazuchellio, cui et ipse ob Parrhasianam symbolam multa debere profiteor: neque huiusmodi Codicem, neque saltem similem in Ambrosiana omnino adservari; tutoque etiam adfirmari posse, nec umquam antea extitisse, quum in veteribus tabulis atque indicibus nullum vel cuiusque Perottini libri vestigium, argumentumve appareret.

IV. Verum quo id quisque expendere per se ac decernere possit, nec non ut ea etiam quae Burmannus praeteriit vel ignoravit sufficiantur, novam Codicis descriptionem hîc adponere abs re non esse putamus. Perottinum igitur MS. liber chartaceus est, eaque formâ instructus, quae in octavo barbarê nuncupatur. Brevis est molis, pagellasque septuaginta tantummodo supra centum complectitur: ex quibus octo ad Epitomes Indicem in ipso fere libelli vestibulo, triginta vero ad calcem omni prorsus scripturâ sunt vacuae. Capita autem in quibus dispescitur ad sexaginta fere supra centum abeunt, quaeque in eis continentur latine scripta sunt omnia, praeter unum tantummodo distichon, quod graecum est, omnia carmine expressa, si argumenta, duas Epistolas, et quasdam notulas ad Epigramma excipias. Singillatim vero duae et triginta insunt Phaedri Fabulae typis editae, totidem novae et adhuc intactae, sex et triginta Aviani ex vulgatis, sexaginta fere Perotti carmina, et pars demum hymni Aurelii Prudentii (1). Quae tamen omnia haud isto ordine sunt composita, sed mixta prorsus simul et confusa, ut mo-

(1) Περὶ στεφάνων num. X.

modo veterem Phaedri fabulam nova, modo novam Aviani fabella, hanc vero Perotti epigramma excipiat. Quod qui absolute pernoscere velit ipsum Perottinum Indicem data opera ad libri calcem excusum versare poterit. Auctoris nomen Epigrammatis quidem non raro, fabellis vero numquam praescriptum fuit. Attamen universae Epitome praefixa est Epigraphe, tum peculiare quoddam elogium additum (1), quibus Auctores singillatim produntur et laudantur. Promythiis praeterea atque epimythiis fabellae carent, eorumque loco argumenta pedestri sermone adposita conspiciuntur. Neque Epitome ad Auctoris sui propositum plane absoluta videtur. Illae enim pagellae vacuae, respectu tam tenuis libelli sane multae, alia insuper atque alia addenda fuisse indicant. Tum nulla alia de caussa fieri poterat, ut nulla nota elogiumve ad finem scripturae adponeretur, nec postremi carminis argumentum in ceterorum indicem transiret, nisi quod abruptum opus fuisset, et iusto suo fine careret. Sed Codex putri etiam humore situque non leviter est vitiatus, eaque praesertim ex parte, qua paginae invicem sunt commissae maculosa impurae aquae vestigia adhuc apparent. Pleraque literarum elementa vanescentia sunt et fugacia, multa ita humore detrita et semesa, ut vix formam suam servent et prodant, et non pauca denique ita plane evanuerunt, ut nisi aliunde adessent argumenta tuto affirmare quis posset nullum ibi fuisse adpositum apicem. Quod sane id eo facilius factum est, quia libellus non atramento, aliove constanti acutoque colore descriptus fuit, sed viridi, si argumenta, ini-

(1) In Prolog.

initiales literas, et quasdam notulas detrahas, quae rubro sunt colore exaratae.

V. In huiusmodi autem Epitome concinnanda ea Perotto mens fuit, ut Pyrrhum suum, quem unice diligebat (1), unâque ceteros adolescentes ingenuos erudiret pariter et delectaret. Id consilii ipsemet in Prologo aperit (2); primumque revera fabellarum gravitate atque elegantia praestabat. Ea enim aetate, quae praelegerentur aut versarentur fabulae inficetae omnes erant, et plane barbarae. Quid; quaeso, Latini leporis in Romulo; quid sanae elegantiae in Salone Parmensi; quid venustatis Romanae in Rimicio, Goudano, Barlando, aliisque eiusmodi quaesiisses? Neque supra graecae interpretationis mediocritatem assurgebant fabulae, quas Hermolaus Barbarus senior, Guarinus Veronensis; Omnibonus Leonicenus; Laurentius Valla, Rynucius Tettalus, aliique nonnulli converterant. Praestabat dubio procul Avianus, quem etiam omnium primus edere voluisse Perottus est visus. Phaedrum vero Fabulatorum elegantissimum nedum adolescentuli, sed ipsi etiam docti Viri ne primis quidem fortasse labellis degustaverant. Verum quidem est fabellarum promythia et epimythia in exemplis Codicis, ut diximus, desiderari, id tamen Perotto tamquam vitio ac crimini non est vertendum. Nam primum usus quodammodo est iure suo, quum non totos integrosque Auctores describere instituisset, verum ea tantummodo excerpere, quae ad rem propositumque suum facere arbitraretur. Tum fabella haud corrumpitur et immutatur, quod sententia ab alio Scriptore ac-

(1) V. Carm. XI. XL. et seqq.
(2) V. 3. etc.

accesserit, quod solutâ sit potius, quam ligatâ oratione composita, quod praemissa tandem sit non subiuncta. Quin immo adolescentium utilitati prospexisse consilio suo Perottus videtur. Phaedrus namque et Avianus modo incertas sententias, et abditas; modo sublimes et arduas, modo etiam nullas fabellis suis adposuerunt. Ille quidem acris ingenii vir, quum iniquis temporibus scriberet, ut calumniam eluderet (1), quae per fabellas significaverat data opera implicuit et involvit, ita ut ex veritate iactare ad amicum suum potuerit (2):

. . . . Rara mens intelligit,
Quod interiore condidit cura angulo.

Ideoque nec iniuria doctus et ipse fabulator de la Motte de istà sententiarum obscuritate quereretur (3). Avianus vero ita cum ipsis fabellis sententias immiscuit, et confudit, ut nullas plane adiecisse videatur. Ex quo factum est, ut maxima saltem ex parte; quae modo leguntur ab aliena manu accesserint (4), et merito fuerint receptae. Vetus autem Aviani Codex, quo Perottus est usus paucas tantummodo ex his sententiis receperat, ut ex earum cum Perottinis argumentis comparatione; atque ex reliquorum Aviani Codicum analogiâ iure colligitur. Quamobrem rudi adhuc et parum expolito seculo adolescentium commodo consulebat Perottus, quum obscuras sententias claris argumentis reddidit, deficientes proprio marte ten-

(1) V. Prolog. libr. III. v. 37.
(2) Prolog. libr. IV. v. 7.
(3) Discours sur la Fable aux Fables nouvelles dediees au Roi.
(4) V. Cannegieter. Differtat. de aet. et stil. Fl. Avian. C. XVI. ad Fab. II. v. 15. III. v. 11. VI. v. 13. etc.

tentavit, omniaque non abrupte et varie, sed uno eodemque expressit tenore. At non erudire modo Pyrrhum Epitome sua Perottus instituit, sed Auctorum etiam, stili, metri, rerumque multarum varietate delectare. Sic enim ad eum scripsit (1):

Solet quippe iuvare ista varietas.

Equidem fateor varietatem istam neque delectare nos modo, neque iuvare, sed minime aequum est ut modulo nostro omnia metiamur, nostrumque ingenium omnium regulam normamque constituamus. Tum multa temporum conditioni tribuenda sunt, iisque insuper multa indulgenda, qui dubia adhuc et ambigua, ut ita dicam, literarum luce incertos gradus huc atque illuc vertebant. Praeterea Perotti aetate, ut ex studiorum ratione fieri plane necesse erat, confusa quaedam rerum congeries, et copia multiplex et varia mire universis placebat, nec alia fere per studiosorum ora versabantur, quam Cornucopiae, Sylloges, Miscellanea, Observationes, Annotationes, Variae lectiones, aliaque huiusmodi sexcenta, quibus per omnes latinos, graecosque Scriptores perpetuo quodam errore et circuitu decurrebatur.

VI. Verum hac de re quidquid sit, quum Perotti fidem gravissime Burmannus exagitasset (2), eoque devenisset Desbillonius, ut affirmare non fuerit veritus (3), quod *Phaedri versus prope omnes immutatos et depravatos a Perotto fuisse constaret*: illud potius animadvertendum esse reor: dubitari scilicet iure non posse, quin, quae ex veteribus Scriptoribus in Epitomen suam Perottus con-

(1) Prolog. cit. v. 9.
(2) Praef. cit.
(3) In notis ad Phaedr. libr. II. Epil. v. 1.

contulerit; fideliter omnia atque accurate descripserit. Et re quidem vera qui Aviani Fabellas in Codice nostro legerit, nil umquam fere maiori cum fide ac religione tractari posse fatebitur. Tantus enim est in singulis propemodum verbis agnoscendis et probandis plurimorum librorum tum MSS. tum editorum consensus et conspiratio, ut nihil supra. Neque id in eis tantum deprehenditur, quae genuina et sincera apparerent, sed in aliis etiam, quae corrupta sunt, et quae propterea a docto Viro nullo negotio emendari potuisse videbantur. Idem periculum in Fabellis Phaedri instituere modo nobis non licet, quum illae quantae sunt ex uno tantummodo ferme Codice pendeant. At quis spectatâ Perotti in Aviano diligentiâ eâdem plane fide Phaedrum exscriptum fuisse dubitaverit? Praeterea si variantes Codicis nostri lectiones expendantur, literarumque conditio, quae Perotti aevo obtinebat, spectetur, luculenter, ut puto, apparet earum auctorem haberi Perottum non posse. Etenim quum multae ex eis rectissimae sint atque egregiae, aliae contra manifesto vitiosae et ineptae nullo pacto intelligitur, quomodo qui tam doctus et sollers in unis conficiendis erat, tam rudem, bardum, et inficetum in aliis corrumpendis se proderet, et qui rectos, numerosos, elegantes versiculos concinnabat, vulgatum etiam metrum in aliis, instamque sententiam vitiaret. Tum quis nescit quanta industria ac fide ad membranas et MSS. Codices Valerium Martialem, et Papinium Statium exegisset, ut religiose veterem scripturam exquisivisset et servasset? Itane unum Phaedrum corrumpere tam inepte maluisset? Quin vero singulari per ea tempora exemplo eum modum in latinis Scriptoribus quibuscumque tractandis

dis adhibuit, et tam longe ab emendandi libidine abhorruit, ut id unum securos nos certosque efficere debeat, quod ex vetustiorum membranarum fide, quae in Epitome continentur fuissent descripta. Hac sane de re tota adduci mereretur ipsius Perotti ad amicum Guarnerium epistola (1), qua de naturalis Plinii Historiae editione ab Andrea Episcopo Aleriensi curatà disserens in audaces et temerarios emendatores generoso impetu invehitur, quidque ipse de emendandi ratione rectissime plane sentiret, et opere comprobaret luculenter aperit. Sed ad propositum nostrum haec quae subiungimus satis esse videntur. Igitur *quod libri corrupti sint*, Perottus ait, *caussa est non tam inscitia eorum qui imprimunt, quam negligentia, et nequitia, ut gravius dicam, quorumdam, qui se Correctores, et Magistros veterum librorum constituunt. Hi enim dum falsa existimant, quae parum animadvertunt recte scripta de summorum Virorum operibus sententiam temere ferre non dubitant. O rem indignam! in quam non modo graves viri et prudentes, sed etiam qualescumque studiosi merito perturbantur. Non est facile ab his discedendum, quae passim scripta reperiuntur, nec quum primum difficultatis aliquid occurrit, errori adscribendum est, nec rectum iter relinquendum, ut devios sequamur amfractus. Laudo* (Correctorum) *doctrinam, laudo studium, sed quatenus modum non excedant, hoc est quatenus nihil addant de suo, sed vel aliis exemplaribus, vel sententia ipsius Auctoris alibi clarius expressa, vel eius Scriptoris a quo id desumtum est auctoritate, vel explicata alicuius imitatione, vel alterius linguae veritate aliquem locum emendant, quod nos nuper in* Mar-

(1) Ad Cornucop. p. 1033. Edit. Aldi cit.

Marco et Papinio fecimus. Aliter enim cum ingenti hominum detrimento frequentius corrumpunt, quam emendant. In his Correctoribus acre sit ingenium, singularis eruditio, incredibile studium, summa vigilantia. Nec praetereundum est ipsum Perottum acerrime exagitasse Georgium Trapezuntium (1), quod is tria fere vel quatuor verba Ciceronis diceret, quae in membranis non apparerent. Tandem si multam gravemque reapse operam in Fabellis Perottus impendisset, quum ea egregia, et plane laudabilis videri sibi dubio procul debuisset, quo pacto credibile est silentio eam omnino obruere voluisse, quum potissimum non Fabellarum tantummodo, sed ipsorum Fabellarum versiculorum mentionem datâ operâ ad Pyrrhum suum iniecisset? Atqui laudi maximae emendatio Codicum ea tempestate vertebatur. Nec ulla aetas est, qua pro huiusmodi gloriolâ acrius et pertinacius docti Viri ad vitae ferme dispendium decertassent (2). Gloriae vero suae et Perottus studiosissimus fuit, tantique omnia sua fecit, ut ea etiam carmina, quae adolescens fuderat inficeta plerumque et inepta colligeret sedulo, nomen suum singillatim praefigeret, et ad editionem pararet. Tum nescio quas reculas suas, minimasque quasdam in Scriptores animadversiones vehementer prorsus et acerrime vindicavit (3). Nec ut vidimus de opere in Martiali et Papinio navatâ tacuit. Quomodo igitur istam quam omnium primus in Phaedrum posuisset ita praeteriisset? quomodo ne verbum quidem ad

(1) V. Catal. Codic. MSS. latin. Biblioth. Nanian. num. 52. 3. Vir. Clar. Iacob. Morell.
(2) V. Ang. Querin. de Litteratur. Brixian.
(3) V. Praef. in Cornucop.

ad fratris filium de ea fecisset; cui omnia sua laudare et commendare satagebat? Tenendum ergo est Perottum in describendâ Epitome unam veterum membranarum fidem secutum fuisse.

VII. Age vero, quo luculentius etiam id constet, quae Burmannus commentus fuerit videamus. *Verisimile*, ait (1), *puto illum* (Perottum) *incidisse in Codicem si non Pithoeano similem, certe a Rimiciano aut Romuleo, aut Anonymi non discrepantem*. Et paullo superius: *Huic calamitati*, nempe quod Phaedrus corruptus fuisset, *accessit fraus et ambitio quorumdam Eruditorum* (et unum Perottum adducit) *qui quum Fabulas solutas nunc varie inter se discrepantes, nunc iisdem fere verbis conscriptas legerent, et in omnibus fere falsae merceis propolis, obscura quaedam poeticae orationis vestigia, eaque facile saepe in pedes suos redire deprehenderet, quasdam edere tamquam a se non quidem inventas, sed versibus et metro coercitas instituerunt*. O miram opinionem! Itane Perottini Codicis Fabulae a vulgatis totae discrepant, itane quorumdam verborum differentia fabellam a fabella prorsus discriminat, diversaeque eam naturae originisque constituit? Perinde ac reliquorum Scriptorum Codices haud frequentioribus et insignioribus interdum scateant variantibus lectionibus. Quid porro hic Rimicii, quid Romuli, quid Anonymi arcessuntur? Cur istarum fabularum, quas Burmannus comminiscitur, specimen ullum, tentamen ullum, argumentum ullum non protulit: vel quis fingere etiam sibi potest non Perottum minime elegantis stili hominem, et qui ne unum quidem versiculum iambicum ad commodum metrum addu-

(1) Praef. cit.

ducere valuit, sed quemvis doctissimum prorsus et solertissimum Virum nescio quas solutas immutatas et interpretatas fabulas in ipsa elegantissimi Phaedri verba, ipsissimosque versiculos, nisi miraculo, restituere umquam potuisse? Et re quidem vera ipsemet Burmannus tristi sane exemplo ostendit in quam absurda et inepta opinione versaretur. Etenim quum ex illis Interpretibus libellum Fabellarum Phaedro restituere adnisus fuisset (1), etsi in maxima illa literarum luce floreret, et Phaedrum aemulari tentaret, immenso plane discrimine ab elegantia puritate et numero Phaedrianarum Fabellarum distavit; quod sane non Desbillonius tantum (2), aliique observarunt, sed ipsemet aliquo pacto his verbis est fassus: *In fabellis*, ait (3), *quas ex Anonymo, Rimicio, et Romulo in Adperdicem olim conieci, et in metrum redegi, nimis ut nunc suspicor multis versibus usus, quia Interpolatores illi; quos secutus fui, verbosiores nostro Phaedro, qui brevitatem semper iactat, extitere*. Quod profecto fieri plane oportebat. Etenim si illi Interpretes servare omnia ex Phaedro voluissent, tum eum ipsum integrum, et genuinum servassent, sed quod suboscurior passim et implicatior videbatur, ideo multa ex ingenio suo non solverunt modo et explicuerunt, sed non raro corruperunt. Quis ergo Deus ex istis fabellis illas ipsas Phaedrianas, Phaedro ignoto, colliget et restituet? Quin id, si vel unum metrum solvas, et quasdam tantum particulas immutes impossibile fit. Quis porro numerum illum

B Poe-

(1) V. Adpendic. Fabular. ad Phaedr. edit. Burmann. 1718. Hagae Comitum.
(2) Disput. III. Phaedr. suo praefix. p. XXXV.
(3) Praef. cit.

Poeticum, de quo Burmannus loquitur in istis Scriptoribus umquam sensit, quis iambicum metrum novit? Si in Plauto, Terentio, aliisque huiusmodi vix species quaedam carminis saepe internoscitur, quid poetici numeri, quaeso, barbara et inficeta prosa praeseferre potest? Fateor hanc prosam haud multo negotio in versiculos iambicos plerumque coerceri, sed mirari subit, quomodo huiusmodi praestigia non Burmannum modo, sed Gudium etiam (1), Nilantium (2), et Clericum (3) decipere potuisse videatur. Etenim palam est multas ex illis fabellis esse, quae a respondentibus Phaedrianis immane quantum discrepent, et aeque tamen facile in iambos redigantur. Tum carmen iambicum ita prorsae orationi est proximum, ut vix in eo, quod aiebat Cicero (4), *numerus et versus intelligi possit, ut senarios et hyponacteos effugere vix possimus, et magnam partem ex iambis nostra constet oratio* (5). Verum haec de tam futili commento dicta sint satis, quum potissimum de simili Christii paradoxo alibi (6) sit disserendum.

VIII. Id autem satis Burmanno non fuit, sed interpolationis etiam corruptionisque Perottum insimulavit (7). Quâ calumniâ ipse saltem abstinere debuisset, qui non ex genuino Phaedri Codice, ut vidimus, sed ex interpretato ac corrupto libro fabellas ab eo desumtas autumavit. Tum qua fronte eius criminis Perottum arguere ausus fuerit non

(1) Comment. in Phaedr.
(2) Ad Anonym. et Romul. a se edit.
(3) Biblioth. Chois. Tom. IV. art. 7.
(4) In Orator. c. 55.
(5) Loc. cit. c. 56.
(6) Differt. I. de Auct. Fab. nov. Cap. I. §. 10. et seqq.
(7) Loc. cit.

non video, quum Codicem unde is fabellas excripsit non noverit, quum fabulatorem illum prosaicum nusquam invenerit, quum nullum vel Perotti vel alterius testimonium extaret, quod fabellas Epitomes ex ingenio suo eum tractasse indicaret. Verum audiamus saltem quae dixerit. Primum itaque ad nonum versiculum fabellae sextae libri tertii scribit: *Perottum verbum* strigandum *expunxisse, et* tardandum *interpolasse*. At undenam id novit Burmannus? Quod vetustiorem Perotti Codicem viderit? Quod ita latinae linguae ignarus Perottus fuerit, ut *strigare* tamquam insolens et barbarum vocabulum horreret et fugeret? Atqui Perottus in Cornucopia, opere etiamnum laudatissimo, multus est in *striga*, *strigosus* (1), atque aliis huiusmodi. Praeterea, quod gravius est, illud *strigandum* nec Codicum fide nititur, nec ullius saltem veteris Interpretis, Romuli puta, Anonymi, Rimicii auctoritate firmatur. Marquardus Gudius non *strigandum*, sed *tricandum* in Remensi MS. legit (2), et *tricandum* Petrus Pithoeus, et Nicolaus Rigaltius, qui alium Codicem versaverant, tum Cunradus Rittershusius, Iosephus Castalio, Isaacus Neveletus, et Ioannes Laurentius ediderunt. Omnium primi Ianus Gruterus (3), et Claudius Salmasius (4) ex coniectura *strigandum* invexerunt. Et quamvis complures in eorum sententiam iverint, nonnulli tamen pro Codicum lectione steterunt (5). Quod si *tricandum*, quae duorum Codicum lectio fuit, genuinum non est, et genuinum con-

(1) Pag. 854. 855. 1285. 1288. Edit. cit.
(2) V. Not. ad hunc loc. edit. Burm. 1718.
(3) V. I. Nevelet. ad hunc loc.
(4) Exercit. Plin. in Solin. p. 40.
(5) V. Rich. Bentlei. ad hunc loc.

contra iactatur, quod nullum MS. probatusve liber agnoscit, qua fronte *tardandum*, quod Codex aliquis exhibet interpolatum affirmari poterit? Quin immo, nisi fallit opinio, ista quidem sincera, vel verisimilior saltem apparet lectio. *Strigare* enim iumenta dicuntur, quum ad recipiendum spiritum, naturaeque officia obeunda, reparandasque quiete et otio vires aliquo in loco subsistunt. *Tardare* vero quum remissiore gradu et lente procedunt. Atqui istud non illud in fabellâ postulari, qui eam noverit, lubenter fatebitur. Musca namque non subsistentem, sed tardantem Mulam increpat, eamque non tum primum excurrere, sed citius progredi iubet. Ideoque inepte mula respondisset se probe scire ubi sibi manendum et subsistendum fuisset. Ut apte contra congruit *tardandum*. Tum *tardare* et *currere*, quod fabella requirit, invicem opponuntur, minime vero *strigare*, et *currere*, quum medium sit *ambulare*. Accedit tandem in invidiosis altercationibus ipsa adversarii verba multâ cum venustate retorqueri, tum ad contemtum, tum ut suis veluti armis adversarius confodiatur. Hoc autem *tardandum*, quod mula dicit, illis muscae verbis *quam tarda es* argute certe et egregie respondet.

IX. Sed pergit Burmannus (1), et versiculum etiam tricesimumnonum fabellae decimae libri tertii a Perotto interpolatum affirmat: *Agnoscas hic*, ait, *Episcopi manum*, *quae* Divum Augustum *dici non passa*, *dedit* Pontificem maximum. At quidnam his sibi voluit Burmannus? Perottum nempe Christianae Religionis, cuius erat Antistes, sanctitate et reverentia motus a profano loquendi modo abhorruisse?

(1) Loc. cit.

se? Sed quid universis eius aetatis Scriptoribus solemnius, quam non humanarum modo, sed et divinarum rerum formulas ex Veteribus mutuari? Quid maiore cum licentiâ tum adfectatum, quam Reges, Principes, doctos et praestantes viros quoscumque sive coaevos sive antiquos Deos Divosque appellare (1)? Cuius rei ipse Perottus testis est locuples, et ita quidem, ut vix modum aliquando servaverit (2). Et ut exemplum ad propositum propius addamus, citata ad Guarnerium epistola (3), ipsum Augustum divum dixit, scribens: *Primam Veneris imaginem* Divus Augustus *dicavit in delubro patris Caesaris*. Quod si ea potius Burmanno sententia stetit, quod Perottus illis verbis fabellam sibi adscripsisset, Christianumque Pontificem spectasse autumaret, nae eum inepta opinio vehementer fefellit. Nam si huiusmodi plagium tentare Perottus voluisset, non unum *Augusti* nomen expungendum ei erat, sed plane delenda Centumvirorum mentio, delenda liberti mentio, et adolescentis, qui comam tonderet, et togam puram sumeret, quorum omnium nullum aetate sua vestigium supererat. Tum quae caussa ratiove Perotto esse potuit, ut vulgatum versiculum, nempe:

A Divo Augusto tunc petiere Iudices:

rectum, elegantem, sententiaeque perspicuae in alium et diversum converteret:

Pontificem maximum rogarunt Iudices.

Hoc loco Imperatorem potius, Ducem, Principem, aliudve simile comminisci quis poterat, quam Ponti-

(1) V. Marian. Ruele Bibliot. volant. Scanz. XXII. p. 65. Giamm. Mazzucchelli vita di Pietro Aretino p. 31. Brescia 1763. n. 2.
(2) V. Carmin. XIII. XXII. etc.
(3) Pag. 1047. Edit. cit.

tificem maximum. Et si Augustus ab Lepidi obitu ad suum Pontificatus maximi munus magna cura et sedulitate obivit (1), mulierisque caussa ad eum non ut Imperatorem, sed ratione iurisiurandi, ut Pontificem maximum delata fuisset, tum id ab Auctore fabellae tantummodo, vel aliis, qui propius rem noverant, non a Perotto scribi immutarive poterat. Nihil igitur ex illa Codicis nostri lectione argui in Perottum potest. Sed Burmannus fabellam etiam vigesimam libri quarti a Perotto contractam et immutatam pari fiduciâ conqueritur (2). Equidem fateor inter lectionem Codicis nostri et vulgatam insignem intercedere discrepantiam, sed minime video quomodo ista varietas Perotto potius, quam superioribus Grammaticis, et Amanuensibus sit imputanda, quum potissimum una verborum syntaxis non sententia fabellae sit immutata: Ex quo patet sensim ac sine sensu, non deditâ operâ semel eam immutationem inductam fuisse. Et re quidem vera nisi per calumniam, haec Perotto obiici nequeunt, qui non modo religiose membranarum fidei haesit, ut paullo superius observavimus, sed visus est etiam vel errores, aut quae errori proxima Codices exhiberent tenere se maluisse, quam quae ab aliis solerter excogitata, et recte restituta apparerent recipere. Haec sane de eodem illo Aleriensi Episcopo scribebat (3): *Sed facessat Corrector noster cum correctionibus suis, nos cum erroribus Patrum nostrorum potius erremus.* Et iam vidimus in Aviani fabellis a se descriptis multa esse, quae Codicum quidem fides tuetur, sed

(1) V. Sveton. in Vit. cap. 31. Ovid. Fast. III. v. 7.
(2) Loc. cit.
(3) Epist. ad Guarner. cit.

sed inepta sunt et mendosa, quaeque facile a se, si fuisset animus, emendari potuissent.

X. Hactenus quae adversus Perottum urgebat Burmannus: subiiciamus autem modo, quae forte negotium aliis facessere possent, ut animadvertisse et occupasse saltem videamur. Et primum, quum fabula octava libri secundi in vulgatis libris hemistichio terminetur, tum promythia atque epimythia omnia resecuisset Perottus, suspicari quis posset, aliud hemistichium, quo versiculus et fabella in Codice nostro clauditur a Perotto fuisse additum; ne ea scilicet in trunco versu defecisse videretur. Attamen id nisi temere dici nequit. Hemistichium enim, quod Codex noster suppeditat, non egregie modo subiectae materiae congruit, sed requiri etiam et postulari ex genuina sinceraque verborum proprietate videtur. Ille namque Cervus absolute et simpliciter *praeda* appellari nequit, quum *praeda* ea sit, quae aliqua arte, industria, solertia comparetur. Ex Veterum autem opinione, maximeque ex stilo Poetarum Casus et Fortuna sunt; agunt; operantur; ideoque per casum recte comparatur praeda. Praeterea observatu dignum est Phaedrum universas fabellas suas, si unam forte exceperis; integris versiculis non hemistichiis clausisse; ideoque longe satius videri fabellam in vulgatis libris deficere; quam in Codice nostro fuisse interpolatam. Quod profecto ut plane exploratum teneri potest. Romulus enim a Rimicio editus haec ad istum locum habet: *Gaudet dominus de Cervo*, quem non quaesitum *invenit*. Tum Salo Parmensis (1):

Quid latet hic, quid ait? videt et sentitque latentem,
Et bona Fortunae munera *laetus* habet.

 Quam

(1) Fab. 58.

Quamobrem grates magis Perotto habendae sunt; quod complementum fabellae per eum recuperaverimus, quam inde aliquid factae ab eo fraudis suspicari. Neque porro de Perotti fide ideo iure dubitare fas est, quod duobus fabellae decimaetertiae libri tertii exemplis in Codice occurrentibus in altero verbum transpositum ostendatur, in altero *pertulit* loco *protulit* legatur. Id enim ex eo fortasse factum est, quod duobus Phaedri Codicibus uteretur Perottus, vel quod MS. variantes lectiones haberet adiectas. Tum haec levissima plane sunt, neque nos eo pacto exscriptam a Perotto Epitomen contendimus, ut per humanam conditionem, vel ob membranae vetustatem, et corruptionem fortasse nonnulla vel imprudens vel necessitate coactus peccare nequivisset. Tandem in fabellâ de arboribus in Deorum tutela (1) loco Cybebae, quod vulgo legitur, in Codice et in Cornucopia (2) exhibetur *Neptuno*. Sed quis inde interpolationis Perottum praefractê arguet? Dicemusne cum Gudio (3) eum, quod in suo MS. offendisset *cy bebae*, nec vim harum vocum percipere valuisset, substituisse *Neptuno*? Atqui Perottus satis superque eruditus fuit, ut longe his graviora et obscuriora pervideret atque explicaret. Tum in Cornucopia, quam universae quodammodo latinae linguae Commentarium appellare potes, omnia fere quae Veteres de Cybele tradiderant congessit (4). Nec ignorare poterat doctus Vir Pinum illi Deae sacram fuisse. Nam praeterquamquod id ex Virgilio

(1) XVII. lib. III. v. 4.
(2) Pag. 999. Edit. cit.
(3) In not. ad hanc Fabul.
(4) V. Pag. 454. 925. 988. 1140. etc. Edit. cit.

gilio (1), Ovidio (2), Seneca (3), Servio (4). Arnobio (5), aliisque multis, vel ipsis pueris patere debebat, ille Martialis suus, quem totum emendaverat (6), et bona ex parte interpretatus fuerat, de nucibus pineis loquens, scribit (7): *Poma sumus Cybeles*. Quin vero quum veteres et recentiores Scriptores tam raro et obscure de Pino Neptuno sacra locuti fuissent, ut Vir longe doctissimus Antonius Augustinus (8) auctoritatem ex eis arcessere non valuisset, nisi ex vetusti Codicis fide illud *Neptuno* producere plane Perottum non potuisse videtur. Quod profecto ipsemet Gudius innuit. Ait enim (9): *Suave est, quod quum in veter. libris, quos habuere Perottus et Faernus legeretur*: Pinus cy bebe Neptuno, populus celsa Herculi etc. scilicet dubio procul, quod sic in Pithoeano vel Remensi Codice scriptum reperisset. Praeterea Gabriel Faernus in eadem fabellâ, quam a se concinnatam in fabellis suis coniecit (10), non *Cybeben*, vel *Cybelen*, sed *Tridentiferum Rectorem sali*, seu *Neptunum* ipsum exhibuit. Et si is genuinum revera Phaedri Codicem novit, quod non pauci docti Viri tenuerunt (11), lectio nostra videretur plane

(1) Aen. IX. v. 85.
(2) Metam. X. v. 104.
(3) In Troad. v. 72.
(4) Ad Virgil. loc. cit.
(5) Libr. V. contra Gentes p. 209. et 231. Edit. Paris. 1605.
(6) V. Praef. in Cornuc.
(7) Libr. XIII. Ep. 25.
(8) Dialog. V. sulle Medaglie.
(9) Loc. cit.
(10) Num. 2.
(11) V. August. Thuan. Histor. lib. XXVIII. c. 30. Barth. Adverf. lib. XXXVI. c. 21. Gudium loc. cit. A. Baillet. Iugemens. Tom. III. Part. 2. num. 1156. Anonym. Gall. Magasin. loc. cit. etc.

ne sincera et probata. Fateor Francisco Perraultio (1), et Hieronymo Lagomarsinio (2) secus, et fortasse non iniuria, visum; sed quum constet Faernum fabellarum suarum themata et materiam ex veteribus Scriptoribus mutuatum fuisse, tenendum quoque est fabellam, de qua loquimur, vel in quopiam antiquo libro deprehendisse; vel eam ipsam quam Perottus in Cornucopia descripserat et veterem et probatam existimasse. Horum autem alterutrum et lectioni Codicis nostri; et Perotto favet. Quumque nil ultra superesse videatur quod in Perotti fidem, vel quadam veri specie; urgeri possit; nil etiam in Fabellarum Epitome apparere, quod a Perotto corruptum et interpolatum affirmari audacter queat; fidenter et tuto tenebimus.

XI. Sed Perottus plagii quoque crimine insimulatur. Iam quidem dudum fabellam Phaedri de arboribus in Deorum tutelâ eum sibi in Cornucopia adscripsisse; et adtribuisse valde illiberaliter clamarunt Barthius (3), Heinsius (4), Hoogstratanus (5), Bailletus (6), Moneta (7), Niceronius (8), Burmannus (9), aliique plures. Sed quanta ratione et caussa aequi candidique lectores iudicent. Perottus ad centesimum quintum Martialis epigramma; seu septuagesimum septimum libri primi haec scripsit, unde tota lis pendet (10): *Allusit* Martialis *ad fabulam;*

(1) Praef. ad Faern. Gallic. versum.
(2) In adnot. ad Epistol. Iul. Poggiani. Vol. II. Ep. 82.
(3) Loc. cit.
(4) Ad fab. 17. lib. III.
(5) Ad eamd. fab.
(6) Loc. cit.
(7) Menagian. Tom. IV. p. 117.
(8) Memoires etc. Tom. IX. p. 374.
(9) Praef. cit.
(10) In Cornucop. p. 999.

lam, *quam nos ex Avieno in fabellas nostras adolescentes iambico carmine transtulimus*. Ubinam quaeso hîc plagium apparet, ubinam illud manifestum furtum, quod crepant? Aviano non sibi fabulam Perottus adtribuit. Et si ad Phaedrum ista non ad Avianum spectat, erit error, non plagium. Quid autem monstri est hominem aliquando memoria labi, Auctoremque pro Auctore supponere ea potissimum aetate, qua tota litteraria gaza, in quadam MSS. et membranarum strue erat posita, in quibus plurima, varia, et adversa mixtim confusimque saepissime erant coniecta? Illud autem *transtulimus* non est *vertimus*, *reddidimus*, ex isto carminis genere in aliud interpretati sumus, quod Cannegieterus etiam parum acute autumabat (1); Nam nullo pacto scribi potest: fabellam ex Aviano vertimus in fabellas nostras: sed est traduximus de loco in locum, ex Aviani libro in fabellarum Epitomen transtulimus. Nec illud *Iambico carmine* negotium facessit. Additum namque est quo fabellae metrum singillatim exprimeretur, quum ea aetate nullae plane adhuc vulgatae notaeve fuissent fabellae iambicae. Et re quidem vera, si Perottus eam fabulam sibi in Cornucopiâ adscripsisset, quomodo in suis illis fabulis, quas dicebat, in Epitome nempe nostrâ, sive sub Phaedri, sive sub Avieni nomine descripsisset, et edere in animo instituisset? Haec in Plagiario non cadunt, quod iam rectissime perviderunt Zenus (2), Fabricius (3), Cannegieterus (4), Desbillonius (5), Anonymus Gallus (6), aliique non pau-

(1) Praef. in Avian. suum, et Differt. c. 15.
(2) Differt. Vossian. loc. cit.
(3) Biblioth. med. et infim. latin. art. Nic. Perottus.
(4) Differt. et loc. cit.
(5) Disputat. II. de Fab. Phaedr. praef. Phaedr. suo.
(6) Magasin. Encycl. loc. cit.

pauci. Et quum Desbillonius parum sibi constans; eorum esset oblitus, quae pro Perotto dixerat, a Iuvenatio nostro sic reprehendi meruit (1). *Tamne madida es memoria? Nam supra, Dorvillio teste, Perottum absolvebas. Ac ne ante Dorvillium quidem, si Perotti verba subtiliter limasset, nemo ipsum culpae affinem dicere certo potuisset. Quae quidem verba, si modo ex eiusdem verbis a Dorvillio relatis explicari debent, quidni ad eumdem modum antea explicari poterant?* Sed graviora adhuc de Perotto Burmannus conqueritur. *Nunc demum* ait, (2), *patuit cepisse Perottum ab adolescentia in illo suo volumine fabellas varii generis describere, quae postea sub suo nomine exirent. Hanc vero fraudem indagandi et eruendi felicitas servata fuit Dorvillio. Unde ut de Perotti furtis liqueat nonnulla subiungemus.* Et variantes ex Phaedro lectiones subiungit. Nonne vero aperte et impudenter Belga iste calumniatur? Nonne secum quoque turpiter pugnat? Si Perottus fabellas Epitomes ex solutis et interpretatis, ut ipse contendebat, proprio marte composuit, quidni ex omni iure fecisset, si eas sibi ipsi inscripsisset? Phaedrus, Avianus, Babrius, Gabrias fabellas ex Aesopo desumtas sibi inscripserunt, et Appendicem fabularum suam quoque dicit ipse Burmannus. At ubinam porro fabellam unam, versiculum unum, verbum quoque unum Epitomes adtribuit sibi Perottus? Nonne omnium primus Burmannus Codicis Epigraphen vulgavit, qua uncialibus literis non Perotto, sed veris Auctoribus suis universae plane fabellae inscribuntur? Nonne etiam carmen Iambicum ad Pyrrhum, quo ipsi

(1) Ad Phaedr. Fab. 17. libr. III.
(2) Praef. cit.

ipsi fabellarum versiculi ad eos Scriptores spectare declarantur? Haec quidem ibi Perottus:

Non sunt hi mei quos putas versiculi,
Sed Aesopi sunt, Avieni, et Phaedri,
Quos collegi, ut essent, Pyrrhe, utiles tibi,
Tuaque caussa legeret Posteritas,
Quas ed'dissent viri docti fabulas.

Quid amplius ergo quaeritur, quid vehementius Perottum tuetur et absolvit? Verum quidem est ipso isto Iambico carmine multos Phaedri versiculos agnosci, sed eos numquam suos dixit Perottus, quin quum initio omnes Epitomes versus suos esse negasset, et hos Auctori suo tribuere voluisse satis clare demonstravit. Neque vero adeo flagitiosum est, si Prologo ad fabellas Phaedri quis ex ipsius Phaedri Prologis versiculos aliquot mutuetur, quum praesertim opportunior locus non adsit, quo Auctoris singillatim nominatimque mentio iniiciatur. Burmannus insuper ait, Perottum fecisse sua verba fabellae de Vulpe et Dracone in Avarum (1), sed de more tantum ait; quin ne species quidem, qua id faciat, apparet, quum lectio Codicis nostri maxime cum vulgatâ conveniat. Itane vero quod fabella, quae in editis libris divisa, distracta, et inversa est, tota, integra, et recta in Perottinâ Epitome exhibetur? O exquisitum iudicium hominis! Ecquis non videt vulgatum fabellae ordinem corruptum, nostrum contra genuinum habendum esse? Ita quidem. Nam ut isto probato omnia belle et egregie procedunt, ita contra illo recepto et fabella sine sententiâ, et veluti sine anima iacet, et appendix nescio quae importuna declamatio, et inepta Oratoris apostrophe

(1) Fab. XIX. lib. IV.

phe videtur. Quamobrem sperare potius licet lectionem Codicis nostri recipiendam passim esse et probandam. Quod si tandem Perottus post aliquot versiculos suos ad Andream Contrarium missos (1), parvam Phaedri fabellam subjunxit (2), et partem quamdam Carminis Prudentii (3) ad Iulium Pomponium Laetum demisit, numquam ista appellavit sua, nec nomen suum, quod in aliis Epigrammatis fecit, praefixit. Tum Contrarius et Laetus viri doctissimi (4), haud ii erant quibus huiusmodi fraus facile obtrudi poterat, nec ullo pacto credibile est Perottum qui Epitomen edere constituerat, qui universo stilo tantum a Phaedro, Prudentioque distabat, qui fabellas omnes a se abiudicaverat, qui Prudentii carmina sin minus adhuc edita, satis certe superque nota esse ignorare non poterat, voluisse tamen eos versiculos stulte et inepte in hanc Epitomen inferre, nisi plagii crimen à se quam remotissimum iudicaret. Nec dubito quin ipsemet omnia aperuisset et explanasset, si iustam praefationem operi praefigere potuisset.

XII. Perspectâ autem Perotti fide atque industriâ, suae quoque Epitomes auctoritas non levis ponderis momentique facta visa fuit. Etsi enim in ea non pauca vitia offendantur, nec emaculatior propterea fiat ac emendatior, quod nulla Perottus retinxerit et immutaverit; longe tamen aliud est certum notumque Grammaticum, neque ita doctum ac solertem, ut optima omnia ab eo exspectari pos-

(1) Num. VIII.
(2) VII. libr. II.
(3) Ex Hym. x. περι στεφανων.
(4) V. Ioann. degli Agostini sugli Scrittor. Venet. Tom. II, Zen. Dissert. Voss. Tom. II. Tiraboschi Letter. p. 420. Ital. sec. XV. Part. II. libr. III. c. 1.

possis, aetate qua ex prava emendandi libidine atque inscitiâ veteres Scriptores passim corrumpebantur, MS. quoddam ex ingenio suo tractasse atque immutasse; aliud vero istud ipsum MS. ex longa aetate, per ignotos Grammaticos, per veteres Amanuenses maculas quasdam traxisse. Atqui haec ipsa est omnium antiquorum Scriptorum Codicum conditio. Ideoque Perottinus sin minus inter plane praestantiores atque emendatiores, inter reliquos tamen locum pretiumque suum dubio procul obtinebit. Atque inde profecto primam caussam argumentumque desumsi quo ad eum edendum me conferrem. Nam visum est haud plane leviter latinas literas eo iuvari posse, utque de unis editis Phaedri fabulis loquamur, multa quidem in vulgatis libris sunt, quae incertae sint fidei, vel omnino egeant medicinâ, contra vero et multa exhibet Codex noster vel recta dubio procul et sincera, vel quae verisimilioris saltem emendationis elementa contineant. Quidni igitur opportunâ occasione utamur? Quidni singula invicem conferentes, fabulatorem praestantissimum, quantum licet aliqua saltem ex parte, expolire ac restituere adnitamur? Quod si in eo recepta et probata sunt plura, quae ex una Pithoei, Rittershusii, Rigaltii, Heinsii, ceterorumque Criticorum coniecturâ pendent, ideoque, si quae praestantia et egregia exhibet Codex noster recipienda et probanda essent, vel si ex ingenio suo procudisset Perottus, quid modo dicemus, quum genuinae prorsus, sinceraeque esse notae ea videantur? Praeterea Pithoeani et Remensis Codicis auctoritas una eademque dici potest. Ita enim ambo invicem conveniebant, tam constanter in omnibus fere consentiebant, ut vel unum ex altero, vel utrumque ex

eo

eodem exemplari descriptum fuisse dubitari vix queat. Et re quidem vera quomodo secus uterque in iisdem plane locis verbisque defecisset, quumque longe plures fabellas Phaedrum edidisse constaret, nonnullaeque aliae in eis truncae mutilaeque occurrissent, quomodo eorum neuter, si diversae fuissent originis ne verbum quidem amplius quam alter exhibuisset? In potioribus ergo lectionibus optimo iure Codex noster praeferri potest. Verum porro est variantes ex eo Lectiones iam pridem a Burmanno vulgatas fuisse, tum viros doctos quos diximus, nonnulla in Phaedro ex eiusdem auctoritate emendasse: sed spicilegium supererat, et plura insuper inesse rati sumus adhuc intacta, aut iniuriâ reiecta, tum plane satius esse fabellas ipsas totas legere atque expendere, quam nudum tantum earum sceleton, et adumbrationem, ut ita dicam, subiici. Quod profecto ni viri docti sensissent haud eâ curâ Dorvillianas Schedulas exquisivissent, nec de earum iacturâ fuissent questi. Et fateor iacturam quidem istam propositum nostrum non leviter sollicitasse. Turpe enim atque indecorum est visum tam egregium desiderium, cui aliquo labore fieri poterat satis, frustrari, resque indignâ profectus illos, quos generosae illae querelae polliceri videbantur, vel auferre penitus, vel retardare. Atque id quidem eo etiam ex capite, quod nullus adhuc sive integrior, sive mutilus Phaedri liber MS. extare videatur. Nam Remensis iam ab anno MDCCLXXIV. incendio est absumtus (1) Pithoeanus vero post varias vices decimoquinto tandem fere post anno omnino intercidisse dicitur (2). De illis vero Schedulis quas Da-

(1) V. Desbillon. Disput. II. cit.
(2) Anonym. Gall. loc. cit.

Daniellanas, Petavianas, Vossianas, aliisque etiam nominibus appellarunt, et quae aliquam tantummodo libri primi partem continebant, quidnam hisce temporibus fuerit, quamvis quaesiissem, scire non valui. Ideoque quum Codex noster unus in Europâ universâ superesse videatur, qui nonnulla adhuc de Phaedro servet, ea qualiacumque sint in lucem edere nec ingratum, nec inutile plane fore existimavimus. Sed aliud insuper erat, quo vehementius etiam ad vulgandum Codicem urgebamur: quod nempe servabantur ac latebant in eo fabellae plurimae novae et adhuc intactae, scitae omnes, pulchrae, et elegantes, Phaedroque Auctore suo, ut omnino exploratum videtur, dignissimae. Quod si Thomas Crenius magnum quid se praestiturum esse putavit, quod fabellâ unâ, cuius tamen auctor Iosephus Commirius extitit, Phaedrum auctiorem reddere sperasset (1), si Gudius, Burmannus, Nilantius tam sollicite adlaborarunt, ut nescio quas Phaedrianarum fabellarum species exprimerent et vulgarent; quî nos tam praestantem, tam insperatam, tam singularem occasionem praeteriissemus, qua tot genuinis foetibus Fabulatorem elegantissimum augere, iuventuti vero nostrae gratum officium, atque utile munus praestare poteramus? Fateor quidem eas in non paucis defecisse, atque in aliis vitia maculasque traxisse: sed si Petronius, si Festus, si Charisius, si ipse Romulus, et Anonymus Antiquus a Nilantio editi, si plures alii Scriptores corruptiores etiam Fabulatore nostro magno passim favore sunt excepti, quidni de fabellis novis vel aliquo vel potiore etiam iure id sperare possumus? Neque est profecto qui nesciat,

 lati-

(1) V. Animadv. Philol. et Historic. Part. V. c. 1. §. 5.

latinos Scriptores universos quatuor iam per secula ab ingenti Virorum doctissimorum vi incredibili studio ac iugi labore emendari, et quamvis innumera plane corrupta antea, depravata, inversa, interpolata ad pristinam fidem restituta fuissent, copiosum adhuc superesse emendationum spicilegium? Quin potius quod nonnulla iam defecissent, et illa esset, quam descripsimus, libelli facies et conditio ad eum edendum festinavimus. Nam si multa modo plane deleta sunt, pleraque vanescentia, fugientia omnia, quid sequioribus aetatibus futurum erat? Nonne Posteri de ignavia et socordia nostra iure questi fuissent? Tandem lubenter addam plurimum etiam apud me Cl. Andresii auctoritatem valuisse, quo suadente atque hortante laborem sum persecutus, quum probe nossem, quam subacti iudicii sit vir, quaeque sint eius in universis literis merita.

XIII. Liber ergo quem modo edimus, ipse est Codex Perottinus. Nihil a nobis in eo est immutatum, nihil ex ingenio additum et adfictum, nihil truncatum et subtractum. Quin id unum perpetuo curavimus, ut eius lectio quaequae fuerit, sive recta et sincera, sive corrupta et vitiosa fideliter exprimeretur: ideoque quantâ per nos licuit curâ operam dedimus, ut verborum et literarum quam minima iactura fieret. Hîc quidem varietates, ut ita dicam, et gradus colorum, quibus literae longa iam aetate, et putri humore adfectae cernuntur, exhibere non potuimus, sed certus sit Lector nihil a nobis in Textum illatum, quod luculenter conspectum et deprehensum nobis non fuerit. Erunt fortasse isto in libello nonnulla, quae neque hac nostrâ curâ, neque Lectorum expectatione satis digna videantur, verum praeter alias
caus-

caussas, quas opportunius paullo post referemus, retinere omnia maluimus tum ad operis integritatem, tum ne potiora quam reapse essent, ut fieri solet, omissa putarentur; Et satius profecto est nonnulla aliquando praeteriri et omitti, quam desiderari, negligi potius, quam exquiri. Quin saepe fit, ut utile et percommodum ab illo existimetur, quod ego forte supervacaneum et ineptum habeo, verumque illud, quod aiebat Phaedrus, comperiatur (1):

Laudatis utiliora quae contemseris
Saepe inveniri.

In uno tamen a Codice discessimus, in dispositione nempe et ordine capitum. Quum Perottus Pyrrhum fratris filium in latinis literis Epitome sua erudire instituisset, parum intererat an primis Phaedri fabellis mediae, mediis postremae praeponerentur, vel si fabellam Aviani alia ex Phaedro, et hanc Epigramma suum exciperet. Neque tum requirebatur, ut singulis capitibus Auctoris nomen praescriberetur, certusque locus, quem in eius libellis obtinebat, adnotaretur. Verum hac aetate, qua alia literarum conditio est, alii Lectores, aliae studiorum rationes et caussae, quo pacto Codex eo ordine utiliter et patienter versari poterat? Cuinam implicatissima fabellarum et Epigrammatum confusio ac perturbatio molestiam maximam non creasset? Singula quisque per se noscere cogebatur, prima a mediis, media a postremis secernere, nova a veteribus, edita ab ineditis distinguere, omniaque in aptum propriumque locum conferre; coecusque iste labor toties recurrebat, quoties aliquid ex Codice petendum erat, et cum

 vul-

(1) Fab. 12. Libr. I. v. 1.

vulgatis lectionibus comparandum. Ideo ut huic incommodo iremus obviam fabellas Phaedri veteres, novas, Aviani fabulas, et Perotti Carmina suis in locis colligere satius duximus, universumque propterea Codicem quatuor in partes tribuere. Quin ea insuper addere visum fuit, quae singula capita certa planeque determinata constituerent. Sed ut ista ipsa immutationis species, quantum fieri poterat deflectetur, iisdem capitibus locum, quem in Codice occupant addidimus, aliisque formis quae aliunde desumta essent imprimi curavimus: Utque tandem ordo, quem Perottus secutus fuerat facilius etiam, unicoque veluti intuitu nosceretur ipsum Perottinum Indicem, a nobis ad commodum lectorum usum, salva tamen absoluta eius integritate, adductum, ad calcem libri subiunximus.

XIV. Primo autem editas Phaedri fabulas, utpote celebriores et notiores collocavimus, easque unum in locum collectas ad vulgatum ordinem disposuimus. Ceterum nihil in eis immutavimus, utque plane iacebant exscripsimus. Paucula tantummodo verba, vel etiam syllabas, ubi nostra defecerant ex libris editis mutuati sumus, ne scilicet in his lacunis moleste Lector haesisset. Ea vero diversis etiam formis excusa sunt, ne vel istis levioribus reculis aliquis error induci potuisset. Praeterea variantes lectiones subiecimus, sive eas, quas duo illi Phaedri Codices Pithoeanus et Remensis suppeditarunt, sive eas quas libri editi servant, ingensque Interpretum ac Criticorum cohors passim procudit et protulit. Isto enim pacto, unico sub intuitu constitutis, quae minuto ac molesto labore in multis libris quaerenda erant, commodius singula expendere Lectores possunt, et de Perottini Codicis lectionibus facilius iudicare. Quod

Quod si eas conferre invicem et comparare studuimus, si iudicium et opinionem nostram addidimus, si nonnulla quoque operosius examinare conati sumus, haud ea mente fecimus, ut totam rem ex sententiâ nostrâ decerneremus, sed potius ut arrepta occasione specimen quoddam et tentamen adderemus, quibus potiora ingenia ad fabellas studiosius et diligentius excutiendas excitarentur. Nec nos ea sumus opinione, ut Codicis nostri lectiones vel semper, vel plerumque vulgatis praeferendas ducamus. Quin multas palam reiecimus, et alias non paucas haud ideo attigimus, quod praestantiores esse arbitraremur, sed quo ab errore tueremur. Ceterum si duas tresve tantummodo potiores lectiones in singulis fabellis Codex noster suppeditabit, praeclare certe nobiscum actum erit. Sed visum est etiam nonnullas animadversiones adnectere, quas Vir clarissimus Vitus Iuvenatius noster in vulgatas Phaedri fabulas conscripserat, atque ad oram libri a Desbillonio editi (1), nonnullis quoque interiectis schedulis coniecerat. Eae namque genuinam Phaedri lectionem vel verisimiliorem optime iuvare videntur. Quin quum acre ingenium Viri, subactumque iudicium probent, patrii decoris interesse rati sumus, ut quae unus Italorum in eximio Fabulatore tentaverat, sin minus, ut absolutum opus, ut specimen saltem, atque exemplar proponeretur, quod Cives nostri aemularentur et perficerent. Hae quidem animadversiones haud multae sunt, nam neque valde multas in universas fabellas Iuvenatius conscripsit, neque omnes, quae inerant adoptare potuimus, quum ad fabellas ceteras, quas Codex noster non servat pertinerent.

(1) Manhemii 1786.

Quidquid autem id est totum Francisco Danielio debetur, Viro praestantissimo, de literis nostris, deque me ipso; quae eius est humanitas, optime merito. Is enim ut bonorum studiorum est fautor, praeterquamquod universum coeptum nostrum; qualecumque demum erat; probavit et iuvit, huius singillatim consilii mihi auctor fuit; librumque ipsum, quem cum ceteris Iuvenatii Anecdotis servat, libenter ultroque commodavit. Atque haec sunt quae ad vulgatas Phaedri fabulas praestitimus.

XV. Fabellis Phaedri iambicis; ceteras pariter iambicas, quas Codex noster servat; statim subnectere visum fuit. Aequum namque erat; ut quae subiectae materiae similitudine; stili ratione; carminisque genere ad eas quam maxime accederent, proximae quoque fuissent et ordine. Has quidem fabulas nulli certo Auctori solemni Epigraphe inscripsimus, quum nullum singillatim et peculiariter in earum fronte Codex exhibuisset; et quamvis dubitare ullo pacto numquam valuissem, quin ad Phaedrum ipsum spectarent; quod unice ex doctorum Virorum iudicio ac consensu pendet; mihi decernendum sumere religio fuit. Fabellas tamen, quo aliquo cognomine notarentur; diximus *novas*, non modo quod eo carminis genere, quo scriptae sunt, nusquam plane adhuc apparuerint, verum etiam quod pleraeque ex eis; quoad subiectam quoque materiam et veteribus et recentioribus Fabulatoribus, intactae et ignotae visae fuerint. Certe quidem, si qui modo sunt qui Graeci, et Latini, Arabes, et Indi Fabulatores a nobis dicuntur, tum etiam Fabulatores Itali, Galli, Hispani, Angli, quorum magnum numerum data opera percurrimus, nullas plane, vel fere nullas eiusdem argumenti fabulas exhibent. Et si uterque

que Romulus, Anonymus Antiquus, Salo Parmensis non paucas ex eis servant, id factum est, quod in alterâ Dissertatione latius persequemur, quia eas ex Auctore nostro desumpserint, et interpretati fuerint. Dolet profecto datum nobis ex Codicis vitio non fuisse, ut eas undique perfectas, omnibusque numeris absolutas proderemus: Sed quid faceremus? Quod reliquum erat, omnem dedimus operam, ut has venerandae Vetustatis reliquias sedulo colligeremus, ut earum quam minima fieri posset, iactura desideraretur, utque certissima plerumque lectio constitueretur. Ideo per multos menses fabellas hasce in manibus habuimus, centies singula legimus et relegimus, neque librum nisi certâ iam; vel plane conclamata lectione deposuimus. Quin oculorum etiam aciem naturâ et iuventâ satis commodam, opticis instrumentis non raro acuimus, ancipitesque locos amicis, et iis quidem doctissimis perspiciendos non semel subiecimus. Ad summam nihil praetermissum est, ut fabellae istae novae, ut in Perottino Codice revera sunt scriptae genuine et fideliter exhiberentur. Haec autem haud ea mente iactamus, ut nescio quam, veluti in mustaceo, gloriolam aucupemur. Eam enim nullam esse arbitramur, et si etiam aliqua esset, nos ut fateamur non tangit: Sed eo plane consilio facimus, ut harum rerum studiosis, quaedam lectionum, quas prodimus, fiducia iniiceretur. Secus enim quum late vulgatum esset Perottinum Codicem humore situque graviter corruptum et vitiatum fuisse, inde quis autumare potuisset, quidvis potius, quam vetera illa et vanescentia verba obtrudi. Verum ab hac ineptâ temeritate absumus, et satius profecto duxissemus, quae in antiquum Scriptorem congruentissime reposuissemus palam no-

nobis et clare tribuere, quam quaedam isti Auctori inscribere, quae neque eum praestantiorem, neque nos reddidissent illustriores. Fecimus insuper, ne ii, qui forte ad agnoscendas in Codice fabellas accesserint, statim ac ad momentum temporis libellum in manibus sumserint, continuo haec esse incerta, haec ambigua, haec temere, haec perperam etiam descripta decernant. Statim enim nec omnia nec recte deprehendi possunt, neque Codex inoffenso pede totus perlegi potest, nisi diuturnâ lectione valde familiaris evaserit. Literae profecto saepe sunt numerandae, fragmenta sedulo colligenda, et vestigia ipsa, ut ita dicam, corradenda. Quae ergo modo exhibemus et edimus fideliter omnia ex Codice descripta sunt, nec apex est, qui ex sententiâ nostrâ, secus ac legerimus, in Textum irrepserit. Fabellae quidem haud paucis vitiis maculisque scatent, nec etiam paucis lacunis hiant. Verum eas emendare ac restituere, expolire ac instaurare Doctorum Virorum erit, quod brevi dubio procul atque egregie praestabunt. Nos quidem rem adgressi sumus, lectionesque tum corruptas, tum deficientes passim tentavimus. Sed minime ea ducti opinione, quod pares incoepto nobis videremur, illudque absolvere posse arbitraremur. Quin potius, quum per diuturnum laborem singula fere literarum elementa perspecta nobis essent, lustrata vestigia, fragmenta collecta abs re non esse putavimus, si nonnulla divinari et conjicere experti essemus, si doctis Viris, qui Perottinum Codicem ipsi versare et lustrare per se non possent, materia quaedam abstrusarum lectionum suppeditaretur, si quidam, ut ita dicam, gradus constituerentur, quibus ad fabellas perficiendas perveniri tandem possit. Praeterea aequum esse du-

xi-

ximus eis etiam quodammodo consulere, qui fabellas hasce novas erudita curiositate lustrare cuperent, nec tantum interea otii esset, quo deficientes corruptasque lectiones uno stantes in pede sibi procuderent, et pararent. Satius quidem est, quaedam habere, quae sententiam non incommode servarent, quam in lacunis fragmentisque incassum haerere. Quoad ipsas autem lectiones nostras, nihil eloquar, quum eas non modo haud pervicaciter tuear; sed eo sim plane proposito; ut simul ac potiores quis proferat, quae nempe ad fidem Codicis, ad fragmenta, ad vestigia diligenter exactae maiorem elegantiam, et sententiam verisimiliorem praeseferrent, illis statim reiectis, has unas probem, complectar, ac teneam. Ideoque

. . . . Si quid novisti rectius istis;
Candidus imperti; si non his utere mecum (1).

XVI. Tertio autem loco Flavii Aviani, sive ut alii perperam vocant Avieni (2) elegiacas fabellas disposuimus, quae omnes fere sunt quotquot Auctor in suo libello conscripsit, nec nisi paucae desiderantur. Nulli quidem est dubium, quin Avianus ab elegantia et puritate Phaedri longissime distet, fabellasque eius nil praeseferre, quo magnopere commendentur. Attamen verum quoque est inter latinos Scriptores veteres recenseri, et quamvis saepius sordidus et ineptus, semper tamen est numerosus et fluens, ac non raro sollers et luculentus. Nec leviter, ut arbitror, Fabulatorem commendat, quod ad eum vulgandum, exornandum, illustrandum ingens doctorum Virorum cohors accesserit, in-

(1) Horat. I. Epist. 6. v. 67.
(2) V. Cannegiet. de aet. et stil. Fl. Avian. Cap. VIII. IX. etc.

inter quos, praeter veterem Scholiastem, Petrus Pithoeus, Petrus Rigaudius, Theodorus Pulmannus, Isaacus Neveletus; Petrus Melianus, Caspar Barthius, Michael Maittairius; Ioannes Cabeliavius, Henricus Cannegieterus, Thomas Wopkensius, aliique non pauci adnumerantur. Tum saepissime istae fabellae excusae sunt; et in dies excuduntur in adolescentium usum; et nuperrime Germanus quidam Vir eruditus eas ex Lunensi Codice ms. edere quoque festinavit. Quamobrem haud plane inritam, omnibusque ingratam operam nostram fore rati sumus, si quae Codex Perottinus ex Aviano servabat et nos promeremus in lucem. Quin potius putavimus harum fabellarum amatoribus; qui haud pauci fortasse erunt, eam satis utilem evasuram, et gratam. Etenim quum Fabellae Codicis nostri prae ceteris mss. quam rectissimae et emendatissimae habendae sint; pleraeque lectiones vulgatae eorum auctoritate firmari possunt; et nonnullae etiam quae vel parum rectae, vel plane corruptae videntur; emendari. Haec autem istis in fabellis edendis praestitimus. Primum eâdem diligentiâ ac ceteras eas exscripsimus, et omnia quae colligi poterant servavimus. Tum quae defecerant ex vulgatis libris, aliis tamen formis ad errorem vitandum, supplevimus. Subiecimus praeterea variantes librorum sive mss. sive editorum lectiones, quas ex perpetuo Commentario eruditissimi et diligentissimi viri Henrici Cannegieteri, aliisque nonnullis libris depromere potuimus. Tandem eas invicem comparavimus, plerumque expendimus, conatique non raro sumus, quo genuina Codicum lectio in temerarios Emendatores sarta tecta servaretur. Equidem nescio quanti haec facienda sint, et an aliquando usui sint futura. Verum hac de

re

re minimum plane laboramus, et satis superque nobis est hoc fabellarum Aviani specimine Perotti fidem luculenter prodi, et egregie probari; quod huius nostri consilii caput erat. Et si parum fortasse refert emendatum et emaculatum Avianum exhiberi, maxime vero nostra interest, ut luculentum exemplum ob oculos habeatur, ex quo Fabellas Phaedri veteres et novas aeque fideliter a Perotto exscriptas fuisse iure merito colligere et praedicare possimus.

XVII. Agmen tandem claudunt Perotti Carmina sive ea, quae proprio marte confecit, sive ea, quae ex graeco sermone convertit; multaque sane obversata sunt animo, quibus ad ea vulganda impulsi fuimus. Et primum quoddam esse nobis officium rati sumus colligendi reliquias studiorum doctorum Virorum, qui literarum nostrarum instauratores et veluti parentes extiterunt. Perottus autem inter principes aevi sui viros, qui bonorum studiorum reparationem perfecerunt, ut ab initio diximus, adnumeratur; essemque frustra plurimus, si vel coaevorum suorum laudes Pii II. Pontificis Maximi (1), Francisci Philelphi (2), Philippi Bergomatis (3), Antonii Sabellici (4), Raphaelis Volaterrani (5), Ioannis Trithemii (6), Paulli Iovii (7), Francisci Floridi Sabini (8), atque aliorum recensere instituissem. Haec iam alii pridem occuparunt.

Affe-

(1) De Europ. lib. II. c. 58.
(2) Epistol. lib. XI. p. 78.
(3) In Chronic.
(4) De latin. ling. reparat.
(5) Comment. Urban. lib. XXI. Anthropolog.
(6) De Scriptor. Ecclesiastic.
(7) In Elog.
(8) In Apolog. latin. ling.

Afferemus autem hîc potius ineditam epistolam Francisci Maturantii Perusini Grammatici aevo suo pereruditi, qua nonnulla sunt, quae Perottum tangunt. Eam idem praestantissimus Vir Franciscus Daniel, quem superius laudavimus, nobis communicavit, ipsique rati sumus, iis, qui Perotti vitam pro dignitate exornandam fortasse adgrederentur, rem haud ingratam facturos, si eam intercidere non pateremur (*). Tum vero visum est nova ista Car-

---

(*) Francisci Maturantii ad Nicolaum Rapsensem Neapolitanum Epistola.

Salvus sis. Ex tuis literis, quas proxime accepi, quod mihi dubium numquam fuit, apertissime cognovi, te Francisci tui minime esse oblitum, et nullo aut locorum aut temporis intervallo dissolvi amicitiam nostram posse. Levibus id venire esse solet, ut quum longe absunt ab amicis facile illos dediscunt, graves et constantes

Coelum non animum mutant qui trans mare currunt.

Quod nihil superiore tempore ad me literarum dedisses, tuas accipio excusationes; ego bis terve post meum in Italiam reditum (anno scilicet 1473.) *ad te literas dedi, quas ex tuis cognovi ad te minime esse perlatas. Nam pro tuo in me amore committere nullo pacto potuisses ut taceres, et nihil omnino rescriberes. Adversatam tibi esse fortunam, ut scribis, vehementer doleo, sed partam tandem quietem gaudeo, et tibi gratulor. Propter tuum in literas et bonas artes animum laudo, teque hortor, ut cepisti, pergas, et ne tibi ipsi desis. Sed errare te in deligendo praeceptore amor cogit. Isthic ubi tanta doctorum hominum copia est, et me velu-*

ti

Carminum Sylloge eorum temporum historiam sin minus insigni quodam et illustri pacto, aliqua saltem

---

ti non inferiorem istis optas, nec optas solum, sed contendis, ut utaris precibus, quas ambitiosas diceret *qui te non nosset, et candorem simplicitatemque animi tui. Gaudeo tantopere abs te amari, et tibi perpulcre in amore respondeo; nam amicorum tuorum in amore erga te concedo nemini. Quae mihi ad laudem vel utilitatem proponis vera omnia esse cognosco. Sed quod ad Guarnerium nostrum scripsi Sipontino haereo, cuius Nepotes erudio, literarum ad haec scribendarum fungor officio. Optime meritus de me est, deserere sic repente non possum, quod si facerem ingratissimus omnium merito dicerer et haberer. Huc accedit quod publicâ mihi statutâ mercede profiteor, ut si abierim simul et populi huius gratiam, si quam collegi, et publicam mercedem amissurus sim. Cupio tecum esse, cupio Sipontinum non offendere. Hinc Patriae caritas tenet, hinc tuus in me amor, et a te mihi proposita trahunt commoda. Certi et explorati quid agam nihil habeo, quod nisi Sipontini domi essem* (Perottus ab anno 1472. ad 1477. vices Legati Perusiae gessit) *omnia relinquerem, ut honesto desiderio tuo satisfacerem. Quamquam ex tuis literis, quae dulcedinis et eruditionis plenissimae sunt tantum te profecisse iam cognosco, ut praeceptore tibi opus non sit, et erudire alios tu possis. Si solutus liberque essem te non Neapolim solum ad amoenissimam Civitatem sequerer, sed in quamvis etiam solitudinem libenter venirem, et nihil non iucundum mihi tecum esset. Loquere cum Guarnerio, quod fieri possit, postquam statum cognovisti meum. Tu vide et bene vale.*

tem ratione iuvari. De sua poeticâ Coronâ bis Perottus meminit (1), de libellis suis ad egregium illum bonarum literarum fautorem et vere parentem Nicolaum V. loquitur (2). Altissimis laudibus Pium II. saepe exornat, Pontificisque ingenium luculenter exprimit (3). Tum Aulae Alphonsi Aragonensis Regis nostri magnificentiam describit (4). Carmen autem ad Andream Contrarium Venetum (5), qui perperam in Excerptis Burmanni, et apud Anonymum propterea Gallum (6) Adrianus vocatur, ea de Viro clarissimo, Academiaeque Pontanianae sodali (7) prodit, quae nullus eorum, qui de eo scripserunt, quod ego sciverim, memoraverit. Sed Laurentius Valla in Contrarii nomine eodem quo Perottus pacto antea, ut puto, lusit. Sic enim ad eum scripsit (8):

Contrari, in cunctis quae vulgus laudat et optat
Salve.
Recte ergo a teneris dictus Contrarius annis.
Cui nihil est vulgo prorsus commune loquaci.

Ex alio autem Carmine a Pyrrho fratris filio in coena recitato (9), quo doctiores Viri plures simul accumbebant, atque ex sequenti, quod Auctorem habet Domitium Veronensem seu Calderinum duo colligimus, primum scilicet solertissimi huiusce iuve-

(1) Carm. IX, et XIII.
(2) Carm. XV.
(3) Carm. XXII. XXIV. XXX.
(4) Carm. XIV.
(5) Num. VIII.
(6) Magasin loc. cit.
( ) V. Iovian. Pontan. in Antonio, et Endecasyllab.
(8) Apud Cardin. Quirinum in Diatrib. ad Epist. Franc. Barbari, Ioan. degli Agostini degli Scrittori Venez. Tom. II. p. 428. etc.
(9) Num. XL.

iuvenis in poeticâ facultate specimen novimus, quum nihil adhuc ex eius carminibus editum fuerit, omniaque, ut aiunt, in Saibantiana collectione serventur (1). Tum Perottum ac Domitium post atroces illas iras, quibus mutuo flagrarunt (2) in pacem ac concordiam coivisse. Ista enim phaleucia omnino serius facta videntur, quam illae concertationes initium sumsissent: Tandem vero epigrammata (3) ad Pomponium Laetum intimam doctorum Virorum familiaritatem ostendunt, et carmen illud Prudentii rectissime Pomponium, quod impudenter nonnulli in dubium vertere ausi fuerunt (4), de sancta Religione nostra sensisse demonstrat.

XVIII. Equidem fateor neque inventionis solertia ac gravitate rerum, neque stili elegantia et metrorum prudentia Perotti carmina se magnopere commendare. Nolim tamen ut inde aliquis de Perotti eruditione scientiaque decernat. Non enim omnes fiunt vel nascuntur Poetae, nec pauci Viri prorsus eruditissimi extiterunt, qui in ceteris admirabiles, risum tamen vel pietatem carminibus suis expresserunt. Nec ignotum est maximum Tullium eiusmodi versiculos conscripsisse, ut propterea passim argueretur, et Iuvenalis de eo dixerit (5):

Antonî gladios potuit contemnere, si sic
Omnia dixisset.

Ha-

(1) V. De Carolis Stor. di Verona Epoca XI. Tom. 6. p. 396.
(2) V. Paull. Cortesium de Hominib. doctis pag. 39. 40.
(3) Num. XXVII. XLIII. XLIV.
(4) V. Tirabosch. Letterat. Ital. Sec. XV. Part. II. lib. 3. cap. 1.
(5) Satyr. X. v. 123. V. et Senecam Rhetor. Suas. 2. Senec. Philos. Epist. 82. De ira lib. III. Quintil. lib. XI. c. 1. et Martial. lib. II. Ep. 89.

Habenda praeterea est temporum ratio, latinarumque literarum per eam aetatem conditio spectanda est. Quae medio saeculo XVI. vel mediocria vel rudia habentur, medio saeculo XV. sunt potius laudanda. Et si in metra peccavit Perottus aliquid ei indulgendum est, qui omnium primus de metris agere adgressus est. *Quam incredibile dictu est*, ipsemet ait (1), *quos sustinuimus labores, adeo quippe omnia non solum praecepta, verum etiam pedum ac metrorum nomina corrupta erant, ut necesse fuerit complures non solum latinos, verum etiam graecos ad ea componenda libros evolvere . . . Rem fecimus, nisi me fallit opinio, quamplurimis non modo adolescentibus, verum etiam provectis utilissimam. Ita enim haec ars tamdiu abolita erat, penitusque restincta, ut nullus extaret Auctor, qui de ea re traderet, vel si quis supererat adeo mendosus corruptusque esset, ut multa in his discerentur, quae nescisse rectius esset.* Verumtamen qualecumque demum de Perotto ob ista carmina iudicium sit ferendum, fatebor quidem, ea maxime de caussa edenda curavimus, quod tenuia, levia, et omnino essent mediocria. Etenim quum nonnulli inventi sint, ut superius abunde diximus, qui vulgatas Phaedri fabellas Perotti opus autumassent, quumque editis fabellis novis, et alii esse potuissent, qui eidem Perotto eas temere inscriberent, pretium operae prorsus erat, ut evidentissimo et facillimo negotio gravis error refelleretur. Quin si dubitari nequit Scriverium, Burmannum, Marchesellium, Christium, de quibus in alterâ Disputatione uberius est disserendum, numquam in ea paradoxa lapsuros fuisse, si quid in poeticis valuisset Perottus no-

vis,

(1) De Metr. Horat.

vissent, merito nobis vitio criminique verti potuisset, si eiusmodi praestigias in aliis durare adhuc passi fuerimus.

XIX. Quum hisce igitur de caussis Perotti carmina edere visum fuerit, dedimus operam, ut omnia colligerentur, quae recte ex Codice peti possent. Verum quidem est, quotquot ibi Perottus scripsit, singula in nostra Sylloge non apparere; sed tria fere vel quatuor tantummodo epigrammata utpote turpiuscula consulto omissa sunt, quum pudorem facerent, nec minimum Lectorem erudirent. Cetera autem exscribi non potuerunt; nec e re mea vel lectorum duxi nescio quae disiecta fragmenta, et dissipata elementa colligere, quae nullam sententiam facerent, et ad Epigrammata spectarent, quae vix tota et integra alicuius pretii fuissent:

In vitium ducit culpae fuga si caret arte (1).

Ex his autem carminibus, quae modo edimus, duo, ni fallor, sunt, quae in vulgus prodierunt; sed ea servavimus, tum ne in Sylloge nostrâ desiderarentur, tum alia peculiari ratione. Primum illud Epigramma est, quod ex tempore coram Friderico III. Imperatore, quum poetica lauro coronaretur Perottus effudisse fertur. Servat Ferdinandus Ughellus (2), aliique non pauci, sed in Codice est duplo maius, et aliqua varietate notabile. Alterum est de Saxoferrato Perotti Patria, quod primum in Excerptis Burmannus vulgavit. At gravis in eo error irrepsit, quum loco τῆ *Urbem* legatur *Vilem*, quod nusquam in Codice apparet, et vox *Urbem* tam perspicue cernatur, ut mirari plane subeat, quo-

 mo-

(1) Horatius de Art. Poet. v. 31.
(2) Ital. Sacra loc. cit.

modo illa permutatio oriri potuerit , nisi dixeris legentem formam τι V fefellisse. Quod autem iisdem in Excerptis Burmannus subdit , Sentinum a Saxoferrato distasse; ideoque non videri unum ex altero ortum, falsum omnino est; et si quid ipsius Perotti auctoritas valet , qui et alibi de Patriâ suâ locutus est (1) , si auctoritas Blondi Flavii (2) , Leandri Alberti (3) , Guidi Panciroli (4) , aliorumque doctorum virorum , Perottum verissime in eo epigrammate locutum fuisse tenebimus . Animadvertendum tandem est Perottinam Oraculi Isthmici versionem postremo in loco collocatam fuisse , quia ceteris Epigrammatis esset longior , nonnullaque ei accederent, quae operosiorem redderent lectionem . Ista versio impense laudatur a Francisco Philelpho Perotti coaevo ac familiari (5) , et quamvis eam antea iam tentasset Nicolaus Sagundinus vir aeque eruditus (6) , maiorem tamen famam Perottina consecuta videtur . De Auctore vero graeci Epigrammatis nil omnino exploratí est . Fuit tamen fortasse aliquis Graeculus , qui inclinatâ iam Gentis suae fortunâ , quum multi ex ea ab Amurathe Turcarum Principe vexari , extorres agi , et servitute premi coepti essent illos solari quodammodo eo pacto conatus est , et eos etiam , ut in aliis Barbarorum irruptionibus , Isthmum potissimum praestruendo sese tuerentur hortari . Quisquis autem ille fuit et sermone rudem,

(1) In Cornucop. 32. 278. 725. etc.
(2) In Ital. illustrat. Reg. V.
(3) Descrizion dell'Ital. Region. XIII.
(4) De claris leg. Interpret. lib. II. c. 67.
(5) Lib. XX. Epistol. p. 141.
(6) V. Iac. Morell. Biblioth. Reg. D. Marci Venet. Bibl. MSS. Graec. et Lat. Tom. I. p. 212. Cod. 333.

dem, et rerum quas tractabat haud multum prudentem se ostendit. Ex Herodoto enim (1), Isocrate (2), Xenophonte (3), Diodoro Siculo (4), Procopio (5), Zonara (6), Syncello (7), Leonico Chalcondyla (8), Pio II. (9), aliisque pluribus constat Isthmum Corinthium amplius quam tribus vicibus praestructum muro a Graecis fuisse. Erunt fortasse qui huiusmodi Epigramma Cyriaco Anconitano attribuant, quum in sui tantummodo Itineris libro appareat. Sed omnino temere. Nemo enim adhuc, quem ego sciam, similem in Cyriaco fraudem ostendit, quin multi contra gravissimis eum argumentis defenderunt (10). Tum vero oraculum nonnisi a Graeculo confingi potuisse videtur. Sed quidquid sit, quum Perottina versio edenda fuisset, visum est graecum quoque epigramma subiungere, et distinctum quidem ac interpunctum, quum vulgo lapidario stilo exaratum occurrat. Tum etiam ut utrumque melius intelligi ab omnibus potuisset aliam pedestrem versionem nostram κατὰ λέξιν tentatam addidimus: Lector aequi bonique omnia consulat.

(1) Uran. seu Libr. VIII. p. 211.
(2) Paneg. Tom. I. p. 166.
(3) Lib. IV. Hellenic.
(4) Biblioth. lib XI. et XV.
(5) De aedific. Iustinian. lib. II. c. 2.
(6) Annal. lib. XII. c. 23.
(7) Chronograph.
(8) De rebus Turcicis lib. VI.
(9) De Europ. c. 12.
(10) V. Hierony. Tiraboschius Letter. Ital. Sec. XV. Part. I. Libr. I. Cap. 5. §. 10.

DISSERTATIO II.

DE AUCTORE FABELLARUM NOVARUM PHAEDRO.

Quum Fabellae novae in Perottina Epitome nec singulari ac propria inscriptione, nec quovis alio pacto perspicue plane et luculenter Auctori certo adtribuantur, operae pretium esse arbitror, si quae ad eum agnoscendum conferre videantur hîc in medium proponantur. Etenim aequum est suos foetus parenti reddi, valde autem commodum, hoc potissimum pacto exploratum, ut ita dicam, pretium, certamque aestimationem operi conciliari. Ex quo quidem factum est, ut Scripta, quae sive iniuria temporum, sive aliis de caussis, absque iusto titulo, et proprio nomine ad nos pervenerint, incredibili studio, ac labore certis Auctoribus vindicare docti Viri contenderint. Praeterea inveniri non pauci poterant, qui Fabellarum Scriptorem non facile agnoscerent, factumque propterea desiderium aegre ferrent, et alii fortasse plures, qui data opera agnoscere ad invidiam detrectarent. Res autem minime ardua, neque involuta, neque inextricabilis visa est, nec de Auctore Fabellarum novarum veluti de Auctore Rhetoricorum ad Herennium, de Auctore Dialogi de corrupta Eloquentia, de Auctore libelli de Viris illustribus, aut de origine Urbis Romae disputandum esse putamus. Quin ratio facilis visa est, et luculenta. Tot enim argumenta adsunt, quibus Phaedrus Fabellarum Auctor

etor evincitur, ea tam gravia sunt, et perspicua, ut rem, meo iudicio, plane certam exploratamque constituant. Nec dubito, quin, quae nos primis veluti lineis modo adumbramus, selectioribus argumentis, uberiorique rerum omnium apparatu docti et eruditi Viri perficiant. Nos vero Disputationem istam duo in capita tribuemus. In primo, eos, qui ab Augusti aevo ad Perottum usque Fabellarum et Apologorum Scriptores extiterunt, vel saltem tales sunt habiti brevi veluti in tabula exhibebimus, eo nempe consilio, ut ubi viderimus, qui Fabellarum novarum Auctores dici nequeant, facile statim, qui dicendus vere sit, Phaedrus scilicet, arguatur. In altero autem cetera omnia disponentur, quae recta veluti via, et propria ratione ipsum Phaedrum Fabellarum novarum Auctorem invicte prodant atque evincant.

CAPUT I.

Fabulatorum, qui ab Augusti aevo ad Perotti usque aetatem floruerunt, nemo ullus, praeter Phaedrum, Fabellarum novarum Auctor haberi potest.

I. Ante Augustum Caesarem nemo ullus inter Latinos Fabularum Aesopiarum scriptor extitit, vel saltem talis habitus fuit. Eius vero aetate C. Cilnium Melissum Grammaticum ac Poetam Apologorum etiam laude floruisse non pauci docti Viri autumarunt. Quum enim Suetonius (1) de Melisso scripsisset: *Libellos ineptiarum, qui nunc iocorum* in-

(1) De illustrib. Grammatic. C. XXI.

inscribuntur componere instituit, absolvitque centum, et quinquaginta: Nicolaus Heinsius hos *iocos* fabellas fuisse Aesopias est ratus (1), idque lubentér recipere ac probare visi sunt Ioan. Albert. Fabricius (2), Ianus Brouckhusius (3), David Hoogstratanus (4), Daniel Crispinus (5), aliique deinceps non pauci. Quin Franc. Xav. Quadrius (6) et nuperrime Franciscus de Furia (7) rem ita exploratam habuerunt, ut absolute primum Latinorum Fabulatorum Melissum constituerent. Attamen ista opinio, qua Fabellae nostrae novae quaedam illorum *iocorum* pars videri potuissent, ab omni veritate ita aliena est, ut contra omnino tenendum sit, nullos Aesopios Apologos Melissum umquam conscripsisse. Lubenter quidem Heinsio, ceterisque doctis Viris damus fabellas Aesopias aliquando *iocos* fuisse appellatas: Id vero nihil ad propositum probat. Aliud enim est sive Scriptoris modestiâ, sive iucunditatis gratiâ fabellas *iocos* dici, aliud Apologorum libellos *iocos* solemni formulâ inscribi. Et si Poetae modo *ineptias* (8), modo *naenias* (9), modo *nugas* (10) carmina sua appellarunt, nemo vero unus ea nomina libris suis praefixit, nisi forte ex rei veritate illa ipsa vocabula subiectae materiae convenirent. Neque vero alii fuis-

(1) Ad Ovid. IV. de Pont. Epist. XVI. v. 30.
(2) Biblioth. Graec. Libr. II. Cap. 9. §. 12.
(3) Ad Tibull.
(4) Ad Phaedr. Epilog. Libr. II. v. 5.
(5) Ad Ovid. de Pont. loc. cit.
(6) Stor. e rag. di ogni Poes. Libr. I. Dist. III. Cap. 7. Part. 2. Tom. IV.
(7) Prolegom. ad Fab. Aesop. ex Cod. Florent. etc. §.XII.
(8) Catullus Carm XVI. ad Aurel. v. 14.
(9) Phaedrus Prolog. lib. III. v. 10. Prolog. libr. IV. v. 3.
(10) Catullus Carm. I. v. 4. Martialis VI. Epigr. 64.

fuisse videntur ; qui fabellas *iocos* dixerint , nisi ipse Phaedrus (1), eaque quam adduximus caussâ, et qui idem dubio procul spectavit Valerius Martialis (2). *Ioci* autem propriâ et nativâ potestate non fabulae Aesopiae sunt , sed urbana ac faceta dicta , scommata mordacia , et ridicula , arguti demum et iocosi sales. Quidni profecto eius naturae fuerint Melissi *ioci*? Romani , quemadmodum ex Cicerone (3), Quintiliano (4), Plutarcho (5), Svetonio (6) , Dione Cassio (7) , Macrobio (8) aliisque pluribus abunde patet , mirifice iocis , dictisque delectabantur , neque fere celebris et illustris inter eos civis fuit ; cuius dicteria non colligerentur , circumferrentur , celebrarentur . Melissus autem lepidi et festivi ingenii homo fuisse videtur, et ad eos iocos sive inveniendos sive colligendos egregie factus. Nam praeter iocosos varii generis *mimos* , novum quoque genus Togatarum invenit, quas *Trabeatas* appellavit (9) ; nec dubitari posse videtur , quin Viris honoribus summis functis trabeam et soccum induceret , ut maiores risus in Theatro excitaret. Non sum nescius Gisbertum Cuperum (10), Ger. Ioa. Vossium (11) , Samuelem

 Pi-

(1) Prolog. libr. I. v. 7. Prolog. libr. II. v. 7. Prolog. libr. III. v. 37. libr. IV. Fab. 6. v. 2.
(2) Libr. III. Epigr. 20. v. 5.
(3) II. de Orator. cap. 58. I. de Offic. cap. 35. I. ad Famil. Epist. 15. IX. Epist. 16. etc.
(4) Instit. Orat. libr. VI. cap. 3.
(5) Apophtheg. Roman.
(6) In Iul. Caesar. cap. 56. in Claud. c. 21. in Vespasian. c. 22. etc.
(7) Libr. LVIII. etc.
(8) II. Saturnal. cap. 2. ad 7.
(9) Sveton. in Meliss. loc. cit.
(10) Observat. libr. I. c. 10.
(11) De Inst. Poetic. II. cap. 7.

Pitiscum (1) has *Trabeatas* non Comoedias existimasse, sed Tragoedias, verum mirari potius subit, quomodo docti Viri non viderint, quae κατ' ἐξοχὴν *Togatae* dicuntur, eas omnino Comoedias, non Tragoedias fuisse. Qua de re dubitare nos nullo pacto sinunt Paterculus (2), Seneca (3), Festus (4), Diomedes (5), aliique complures. Tum vetus Horatii Scholiastes (6), Comicis non Tragicis Melissum accenset, eumque Ovidius coaevum, notum, familiarem suum non a gravi tothurno, sed a socco levi collaudat (7):

Musaque Turanî tragicis innixa cothurnis,
Et tua cum socco Musa, Melisse, levi.

Nec profecto potiorem amico gloriam Poeta invidisset, et Tragico etiam opposuisset, si umquam Tragoedias iste scripsisset. Nullas autem Comoedias praeter Trabeatas scripsisse Melissum luculenter ex Svetonio (8) colligitur. Melissi ergo *ioci* non fabellae Aesopiae, sed ridicula ac iocosa dicta fuisse videntur. Quod sane magis etiam magisque patebit, si ad ipsa Svetonii verba, quae initio adduximus, animadvertimus. Ibi enim ne *iocos* quidem proprie Melissum composuisse Historicus refert, sed omnino *ineptias*; nec videtur, eas Svetonii aevo *iocos* dictas, nisi ut ridiculum et scurrile dicendi genus honestiori vocabulo commendaretur. Anne vero fabellas, quarum penes Veteres tantum pretii et laudis fuit, ut divinam eis originem

(1) Lexic. Antiquit. Roman. V. *Togat.*
(2) Libr. II. Histor. c. 9.
(3) Epist. VIII.
(4) V. *Togat.*
(5) Libr. III. Art. Grammat. c. 4.
(6) Ad Art. Poetic. v. 287.
(7) De Pont. loc. cit.
(8) Loc. cit.

nem adstruerent (1), *ineptias* etiam appellari ac solemniter inscribi potuisse dicemus?

II. Sed pergit Heinsius, ipsumque Phaedrum putat, Melissum ut fabellarum Scriptorem istis Epilogi Libri secundi versiculis spectasse:

Quoniam occupârat alter ne primus forem,
Ne solus esset studui, quod superfuit.

Ille *alter*, ex Heinsii coniectione, est Melissus. At hîc solertissimi ceteroquin Viri iudicium desideratur. Etenim ex toto Epilogo omnino in perspicuo est in adductis versiculis, ut in ceteris, de seipso ac de Aesopo unice Phaedrum loqui. Nec aliter, ut par erat, senserunt Adrianus Bailletus (2), Cunradus Rittershusius (3), Nicolaus Rigaltius (4), Ioannes Schefferus (5), Marquardus Gudius (6), et Petrus Burmannus (7). Quamobrem ad evertendam penitus opinionem suam nil potius adducere Heinsius poterat. Nam si unus Aesopus occupavit ne Phaedrus in conscribendis fabellis fuisset primus, et si Phaedrus studuit ne solus ille fabulator extitisset, palam est neque Melissum, neque alium quempiam saltem ex Latinis Scriptoribus ante Phaedrum id praestitisse. Quod quidem et alia multa probant, quae passim prodit, quibus luculenter ostendit se novum scribendi genus, Romanisque ingeniis hactenus intentatum adgressum fuisse (8). Et quoniam haec nullo pacto

(1) V. Philostrat. de vit. Apoll. libr. V. c. 15. Flav. Avian. Praef. in Fabul. suas.
(2) Iugem. des Savans. Tom. III. Part. 2. num. 1156.
(3) Ad Phaedr. loc. cit.
(4) Ad Phaedr. loc. cit.
(5) Comm. in Phaedr.
(6) Comment.
(7) Comm. Novo.
(8) V. Libr. III. Prolog. Libr. IV. Prolog. Fab. 6. et 20. Libr. V. Prol. etc.

pacto Phaedrus affirmare potuisset, si Melissus fabellis componendis dedisset operam, tenendum propterea est nullas revera fabellas Aesopias hunc Grammaticum conscripsisse. Melissus enim opera sua antequam fabellas Phaedrus ederet evulgavit; Divus Hieronymus (1) Melissum Olympiade CXCIV. viginti scilicet fere annis ante Augusti obitum floruisse tradit. *Ineptias* autem seipso teste, ut Svetonius refert (2), sexagenarius est adgressus, tum *mimos*, et tandem, ut videtur, *Trabeatas*. Quamobrem, si literati Viri tum maxime floruisse dicuntur, quum per edita scripta late innotuerunt; dicendum est *Ineptias* saltem ante Olymp. CXCIV. fuisse vulgatas. Tum vero Ovidius, qui octavo ante Augusti mortem anno in exsilium pulsus fuit, inde de Melisso meminit, ut Scriptoris et Comici iam tum illustris et clari; quum Romae res suae florerent; et cum coaevis Poetis incolumis versaretur (3). Ideoque teneri potest omnia Melissi opera sub Augusto fuisse in lucem emissa. At Phaedrus vix ad postrema tantummodo Caligulae tempora (4), vel etiam, ut plures docti Viri putant, serius (5) Fabellarum suarum libellos absolvisse ac vulgasse videtur. Ad Cilnium ergo Melissum Fabellae nostrae non pertinent.

III. Nec potiori iure tribui eae possunt Iulio Titiano Patri, qui saeculi tertii initio, cum cognomine filio Maximini iunioris praeceptore, multa literarum, artisque praesertim Oratoriae laude cla-

(1) In Chronic. Eusebian.
(2) De illustr. Gramm. loc. cit.
(3) De Ponto loc. cit.
(4) V. Tanaq. Fabr. Praef. in Phaed. suum.
(5) V. Henr. Cannegiet. Dissert. de aetat. et stil. Flav. Avian. Cap. X. Ios. Desbillon. Disput. I. ad Phaedr. suum.

claruit (1). Is enim Apologorum quidem libellos conscripsit, sed quemadmodum doctissimi Viri Elias Vinetus (2) et Alb. Fabricius (3) etiam animadverterunt, ii non carmine, ut Fabellae nostrae, sed prorsa fuerunt oratione exarati. Et si Rittershusius (4), Vossius (5), Bentleius (6), Cannegieterus (7), et Quadrius (8), ipsis trimetris iambicis eos constitisse autumarunt, haud mature perpendisse visi sunt Decii Ausonii versiculos (9), unde tota haec disquisitio dependet. Is enim ad Probum Praefectum Praetorio scribens, ait:

Apologos en misit tibi,
Ab usque Rheni limite
Ausonius, nomen Italum,
Praeceptor Augusti tui:
Aesopiam trimetriam,
Quam vertit exili stilo,
Pedestre concinnans opus
Fandi Titianus artifex.

Pedestre autem *opus* non ligatum ac metricum; sed solutum plane et prosaicum est dicendum. Nam *pedestre* ea ipsa potestate, dubio procul, hîc sumitur, qua *pedestris* sermo, et oratio *pedestris* dicitur. Atqui Graecis Latinisque Scriptoribus sermo pedestris seu πεζος λογος est omnino prorsa et soluta oratio. Strabo (10), Lucianus (11), Horatius (12), Quin-

(1) Vid. Cannegieter. Differt. citat. Cap. XI. XII. et XIII.
(2) Ad Aufon. Epift. XVI.
(3) Biblioth. Graec. libr. II. c. 9. §.
(4) Epift. ad Ioachim. Camerar. Phaedro fuo praefixâ.
(5) De Poet. Latin. C. IV.
(6) Differt. de Fabul. Aefop. §. 6.
(7) Differt. de Avian. cap. XI. p. 274.
(8) Loc. cit.
(9) Epift. XVI.
(10) Libr. I. p. 32. Edit. Amftel. 1652.
(11) In art. confcrib. Hiftor.
(12) II. Carm. Od. 12. v. 10. etc.

Quintilianus (1), Terentianus Maurus (2), Vopiscus (3), Symmachus (4), aliique plures exempla suppeditant, tum alia multa et scitu digna hac de re suggerunt Guillelmus Budaeus (5), Henricus, et Robertus Stephani (6), Ger. Vossius (7), Otto Menckenius (8), et Christ. Adolphus Klotzius (9). Nec umquam omnino invenire est, probato Scriptori τὸ *pedestre* veluti pedibus poeticis metrisque constans fuisse, quod ineptissime in hoc Ausonii loco Gallus Interpres comminiscebatur. Et si Servius ad Virgilii Georgica (10) scripsit: *Constat Mecaenatem fuisse literarum peritum, et plura composuisse carmina. Nam etiam Augusti Caesaris gesta descripsit, quod testatur Horatius dicens* (11):

. . . . Tuque *pedestribus*
Dices *historiis* proelia Caesaris,
Mecaenas, melius.

Primum reponi potest: Servium pedestres historias non ad carmina Mecaenatis, sed generatim ad eius literas retulisse. Tum vero, etiamsi ad ipsa carmina, quod falsum arbitror, intendisset Grammaticus nulla omnino hoc loco eius esset auctoritas, Etenim, praeterquamquod saepius ineptit (12), atque *in ius*, ut Parrhasius noster ait (13), *vel ami-*

(1) Inftit. Orat. libr. X. c. 1.
(2) De pede Cretic.
(3) In Probo.
(4) Libr. I. Epift. 4.
(5) Epift. libr. I. ad Salmon. Macrin.
(6) In Lexic. Latin. et Graec.
(7) In Etymolog. V. *Pes.*
(8) In Obfervat. Ling. latin. V. *Pedeftris.*
(9) In Lection. Venufin. p. 257.
(10) Libr. II. v. 42.
(11) Loc. cit.
(12) V. Ian. Gruter. Fac. Critic. Tom. I. in Syllog. Politian. Beroald. Pii, Florid. etc.
(13) Quaefit. per Epiftol. 5.

minimo quoque literatore est vocatus: hîc plus fere errorum habet, quam verborum. Nam nec Mecaenas bella Augusti umquam scripsit, nec ea scripsisse Horatius tradit, nec tandem *pedestres historiae* in isto Poeta sunt metricae et poeticae. Acron, Porphyrion, aliusque vetus Scholiastes, tum recentiores Interpretes eruditissimi plerique omnes prosaicas intelligunt; et qui totam Horatii Odem, et similiâ loca consuluerit, id omnino unum eum sensisse fatebitur. Et si idem Acron in illo ipsius Horatii versiculo (1):

Quid prius illustrem Satyris, Musâque pedestri:
Musam *pedestrem* dixit, quae *pedibus staret*, nullo pacto *pedes* metricos intellexit, sed quod alibi uberius explicavit, *pedes* proprie nuncupatos, unde egregia metaphora duxit initium (2). Quum enim carmina ex cothurnis, equis, curribusque pronuntiarentur, ille *pedestris* sermo dictus est, qui humi, nudis veluti pedibus, imoque de gradu efferretur. Quamobrem carmini opponi fuit visus, et mera propterea haberi oratio prosaica. Non negaverim *pedestrem sermonem* humilem nonnumquam ac tenuem tantummodo esse, et carmen non excludere, sed istâ potestate *τὸ pedestre* in Ausonii versiculo sumi nequaquam potest, et mirari subit Aegydium Forcellinium eruditissimum ceteroquin Grammaticum, id non vidisse (3). Etenim quum Ausonius in superiori versu dixisset;

Quam vertit exili stilo:
quomodo e vestigio illud exile opus, exile iterum ac tenue dixisset, atque in turpem *ταυτολογίαν* omni-

(1) II. Satyrar. 6. v. 17.
(2) Strabon. loc. cit. V. Ian. Parrhas. ad Art. Poetic. Horat. v. 95.
(3) V. suum Lexic. voc. *Trimetrius*, et *Pedester*.

nino importune prudens Poeta offendisset? Et si Aesopios Apologos, qui humile tantum dicendi genus suscipiunt, ex prorsa oratione in Latinos trimetros Titianus coercuisset, quomodo eos ita magis magisque extenuare, et diducere potuisset, ut non semel, quod supervacaneum etiam videri poterat, sed, ex eorum sententiâ, iterum etiam de interpretationis exilitate ac tenuitate Ausonius meminisset? Neque porro alicuius momenti est Titiani Apologos *Trimetriam Aesopiam* appellari. Interpretationes enim carminum ipsum nomen titulumque eorum servant, recteque scribitur: mitto tibi Horatii Oden, Catulli Endecasyllabum, Tibulli Elegiam, Martialis Epigramma, quamvis patrio aliove sermone versa ea fuerint ac soluta. Titianus autem interpretari latine potuit fabellas Aesopi, quas trimetris iambicis Babrius, Gabrias, aliive Graeci Scriptores expresserant, quemadmodum Vinetus (1) etiam, et Cannegieterus (2) coniecerunt. Tum verò Ausonius haudquaquam scripsit mitto tibi *Trimetriam* Titiani, sed *Trimetriam Aesopiam*, quam vertit Titianus; Is ergo versiculos vertit, non fecit, et propterea exploratum videtur Titiani apologos non carmine, sed prorsa oratione fuisse conscriptos. Sed esto, detur etiam Titiani fabellas iambico carmine fuisse compositas, isto quoque pacto a Novis nostris quam longissime distabant. Illae enim Apologis omnes constabant, nostrae vix paucos Apologos agnoscunt, illae tenues ac humiles, nostrae graves et arduae, illae destinatae puerulis nondum fere a lacte depulsis, et quibus narrandae erant, ut ait Ausonius (3):

Nu-

(1) Loc. cit.
(2) Loc. cit.
(3) Loc. cit.

Nutricis inter lemmata,
Lallique somniferos modos:

nostrae aetatem integram, maturique ingenii homines postulant; Illae tandem ex Graeco sermone conversae, nostrae vero magna saltem ex parte proprio marte confectae. Ad alium igitur Scriptorem non ad Titianum istae fabellae dubio procul spectabunt.

IV. Pleraeque sane Flavii Aviani, seu ut alii vocant Avieni, fabellae in Codice Perottino occurrunt, eaeque cum Fabellis novis omnino confusae et permixtae, unde nescio quid de Fabellarum novarum auctore suspicari quis posset: Sed, praeterquamquod vulgatae Phaedri fabulae, et Perotti epigrammata in eo comperiuntur, ac aeque mixta, omnia prorsus a Flav. Aviano Fabellas novas removent atque abiudicant. Et primum ipsemet Avianus epistola ad Theodosium duas tantummodo supra quadraginta fabellas, quotquot scilicet modo extant ac leguntur in totum se conscripsisse prodit: Neque eum aliis porro fabellis dedisse operam vel levissima ratione argumentove coniici potest. Visum sane nonnullis est (1), nescio quem Iustinianearum Institutionum Glossatorem (2) Aviano quodammodo tribuere quamdam de Leonina societate fabellam, quae in vulgatis non apparet: Attamen, praeterquamquod Glossator iste homo semibarbarus et bonarum literarum parum doctus nullum rei auctoritatis pondus conciliat, ne perspicue quidem eius fabellae Auctorem Avianum facit, sed cuidam Aniano tribuit; quin vel isti *Aniano*, *vel* ipsi potius *Aesopo*. Atqui in omnibus Grae-

(1) V. Fabric. Biblioth. Lat. libr. III. Cap. XI.
(2) Ad libr. III. Titul. 26.

Graecis Latinisque fabellarum libellis, quae Aesopo inscribuntur (1), ea reapse fabella conspicitur, nec non in Anonymo Elegiaco, qui per Glossatoris potissimum aetatem Aesopus vulgo audiebat. Ideoque palam est, Glossatorem qui Scriptorem fabellae singillatim et distincte non meminerat, unum et alterum adduxisse, ut sin minus in uno, in altero certe, quod verum est, fabella reperiretur. Ceterum ea quaequae fuerit fabula in Novis nostris non apparet. Tenere ergo possumus praeter eas quas legimus, nullas insuper fabulas Avianum edidisse, ideoque Novas nostras ad eum spectare non posse. Quod profecto maxima stili, totiusque scribendi rationis discrepantia luculentius etiam ostendit. In novis enim Fabellis omnia elegantem, politum, praestantemque Scriptorem produnt, nec quidquam est quod argenteam, quam vocant, latinarum literarum aetatem mentiatur. In fabellis vero Aviani multa sunt, quae eas literas iam late declinatas sapiant, et mediocritatem Fabulatoris arguant, atque in rerum inventionem, in concinnam partium enumerationem, atque in elegantem ac puram elocutionem peccata demonstrant. Cannegieterus quidem ad eamdem argenteam aetatem hunc Fabulatorem adducere est conatus, omniaque in eo recta, probata, elegantia ostendere contendit (2); sed pace sua, nil aliud universo ac perpetuo Commentario praestitit, quam uberiora exempla, et potiora argumenta solerti lectori suppeditare, quibus magis semper magisque argueret, quam immani discrimine a ceteris probatis Scriptoribus Avianus distaret. Quin vero nonne et idem iudicium ipse

(1) V. Collect. Venet. Basileens. Lipsiens. etc.
(2) In Differt. cit. de aet. et stil. Flav. Avian.

ipse Cannegieterus prodidit, quum Fabulatorem suum indignis interpolationibus, *infandis flagitiis* a Grammaticis semibarbaris, *et ineptissimis hominibus* (1) corruptum, *omnem leporem ei detractum, atque inficetum plane nobis relictum* (2) saepe ac gravissime queritur (3), quum plura in eo ex ingenio suo invertit, immutat, refingit, expungit, quum alia etiam non pauca veluti desperata nulliusque medicinae amplius capacia relinquit? Atqui palam est Avianum quam emendatum potius atque a Grammaticorum audacia, ut fieri poterat, immunem, ad nos pervenisse, quod etiam superiori Dissertatione in Codicem, et passim in Variantibus Lectionibus singillatim observavimus. Et si Borrichius (4), Rigaudius (5), Vossius (6), Fabricius (7), aliique nonnulli autumarunt Flav. Avianum ipsum esse Rufum Festum Avienum, qui Arati Phoenomena, et Dionysii Periegesin. docta metaphrasi est interpretatus, multa carmine iambico, et satis eleganter conscripsit, et Virgilianas praeterea fabulas concinnavit (8), graviter eos opinio fefellit. Nec rem penitus perviderunt Gregorius Gyraldus (9) et Nicolaus Antonius (10) qui tantummodo dubitarunt. Omnia enim Flavium

E a Ru-

(1) Ad Fabell. IX. v. 11. p. 69.
(2) Ad Fab. XXXVII. v. 7.
(3) Locis cit. Cap. I. et XV. Differt. In Comment. ad Fab. IV. v. 4. ad VIII. v. 7. ad XII. v. 7. ad XXV. v. 16. etc.
(4) II. Differt. de Poet. Latin. §. 50.
(5) Praefat. in Avian. fuum edit. 1607.
(6) De Poet. Latin. c. IV.
(7) Biblioth. Latin. libr. III. cap. 11.
(8) V. Iofeph. Scaliger. ad Manil. p. 51. Gafp. Barth. Adverf. XXXVI. c. 12. XXXVIII. c. 16. Ad Theb. Statii I. v. 635. II. v. 38. Philipp. Briet. De Poet. Latin. c. IV.
(9) Dialog. IV. de Poetar. Hiftor.
(10) Biblioth. vet. Hifpan. libr. II. c. 9. §. 393.

a Rufo Festo prorsus discernunt. Id facile modo et pluribus mihi esset demonstrare, nisi praeter Barthium (1) aliosque nonnullos, rem totam tam gravibus atque invictis argumentis Cannegieterus evicisset (2), ut eorum Auctorum diversitas inter plane explorata habenda sit. Virgilianae vero Rufi Festi Fabulae longe ab Aesopiis distarunt. Eae namque vel fabulae Mythicae, poeticaeve fuerunt, quibus in suis poematis Virgilius est usus, vel ipsa Virgilii carmina, ut Titi Livii historia, Servio auctore (3), carmine iambico ab Avieno interpretata. Neque aliud praeterea apparet, quod fabellas Aesopias Rufum Festum adgressum fuisse vel levissime umquam innueret. Quin immo et stilus, et peculiaris iamborum ratio atque structura ab Auctore Fabellarum novarum eum plane discriminant. Hae igitur Fabulae nec a Flav. Aviano, nec a R. F. Avieno confectae fuerunt.

V. Fuit tandem Leontius quidam Mythographus, quem fabellas Aesopias composuisse Christoph. Aug. Heumannus (4), aliique nonnulli autumarunt: Attamen, etiamsi Apologos eum reapse edidisse constaret, nullo pacto Fabellarum novarum Auctor haberi vel probabili quapiam ratione satisve commodo argumento posset. Huiusce enim Leontii opus, quod in manus viri eruditissimi Joannis Brassicani pervenerat, edendumque, si per tempora licebat, ab eo fuerat, in gravi Smalchaldico bello cum pluribus aliis libris, non levi bonarum literarum ia-

(1) Adversar. lib. XLVI. c. 16. etc.
(2) Differt. cit. Cap. I. ad X.
(3) Ad Virgil. Aeneid. lib. X. v. 272. et 388.
(4) In additam. ad Biblioth. Graec. Fabric. libr. II. c. 9. §. 12.

iactura, omnino intercidit (1), neque aliunde fragmentum aliquod, vestigiumque superfuit, ex quibus libelli stilus, scripturaeque ratio praesenti periculo, aliquo saltem pacto, argui potuisset. Tum de ipso Auctore incerta plane et obscura sunt omnia. Plerique sane etiam apud Latinos Leontii extitere, magnumque eorum numerum patienter, more suo, recenset Fabricius (2), sed quis ex istis aliisve etiam Leontiis Mythographus fuerit affirmari certo non potest. Idem Fabricius Leontium hunc, eum esse autumavit (3), quem Ausonius inter Professores Burdigalenses singulari carmine laudat (4): sed mea sententia, parum recte. Quomodo enim Ausonius, qui Leontium suum omni pacto celebrare contendit nusquam, ut Mythographum, fabularumque Auctorem laudasset? Quomodo saltem inter Scriptores non adseruisset? Quin contra sat clare ostendit, nec quid etiam tale ob ingenii et literarum mediocritatem ab eo expectari potuisse. Haec quidem de eo scribit:

Litteris tantum titulum assecutus,
Quantus exili satis est cathedrae,
Posset insertus numero ut videri
Grammaticorum,

Quod si aliquid esset coniiciendum Leontius Mythographus ille potius videretur, quem, data epistola, qua et carmen incluserat, Sidonius Apollinaris laudat (5), ut Petrus Burmannus (6) et Christoph. Harlesius (7) etiam sunt arbitrati. At, quod

 pro-

(1) V. Burmann. maior. ad Petron. Arbitr. c. 121.
(2) Biblioth. Graec. lib. V. c. 11.
(3) Biblioth. Graec. loc. cit.
(4) Carm. VII.
(5) Carm. XXII.
(6) Ad Petron. loc. cit.
(7) Ad Biblioth. Graecam Fabric. libr. III. c. 20. Tom. IV. p. 94.

propositum nostrum propius tangit, Leontius Mythographus haudquaquam ut Fabulator haberi potest. Etenim Ioannes Brassicanus, a quo fere uno tota Leontii notitia pendet ad illa Petronii Arbitri (1):

Extulit in lucem nutritas sanguine fruges.

haec adnotavit: *Constat Marti germen esse sacrum. Meminit et L. Apuleius in libro de herbis, et Leontius Mythographus, auctor minime malus, superioribus annis a nobis tantum non ab inferis excitatus, et aliquando cum Philologis communicandus.* Tum Mathias Gesnerus Brassicani aequalis haec in Bibliotheca sua (2) scribit. *Leontii cuiusdam liber in quo fabulae Poetarum enarrantur, a quibusdam citatur.* Atqui fabulae Poetarum longissime a fabellis Aesopicis distant, neque istae, adolescentulis potius puerulisque congruentes, communicandae Philologis erant. Tum numquam qui latine scripserunt Aesopios Fabulatores Mythographos appellarunt, sed isto nomine eos tantummodo denotarunt, qui ipsas Poeticas fabulas, et mythicas historias conscriberent. Et si illud Graeci usurparunt, unde Heumanni error dubio procul originem duxit, inepti essemus, si omnia ab eis Nostros mutuari debuisse arbitraremur. Quamobrem tenendum est scripturae genus a Leontio celebratum eiusmodi fuisse, quo Ovidius (3), Hyginus (4), Fulgentius (5), Placidus Lactantius (6), Albricus Philosophus (7) sese exercuerunt. Et Sidonius, quum

(1) Loc. cit.
(2) Voc. *Leont.*
(3) In Metamorph.
(4) In Fabul. et Astronom.
(5) In Mytholog.
(6) In Fab. Ovid.
(7) In Imag. Deor.

quum carmen de triumpho Bacchi Indico mythica eruditione refertum ei misit, atque in epistola addidit: *subiit animum quospiam secundum amorem tuum hexametros concinnare*: id fortasse spectavit.

VI. Atque hi omnino sunt, qui stantibus adhuc Romanis literis latini Fabulatores extiterunt, vel tales saltem a nonnullis sunt habiti. Praeter eos ne mentio quidem alterius aut nudum nomen penes quoscumque Scriptores, si recte memini, occurrit: Neque eruditissimi viri Fabricius (1), Harlesius (2) Cannegieterus (3), Quadrius (4), Desbillonius (5), Jaucourtius (6), aliique complures, qui data opera de Latinis fabulatoribus et luculenter egerunt, nisi de iis unis meminisse valuerunt. Quod si Annaeus Seneca Polybium eruditum ac potentem Claudii Imperatoris libertum hortari visus est (7), ut Aesopios apologos conscriberet, tota res in Senecae voto mansit. Et si Martialis (8) ea de C. Canio Rufo Romano Equite loqui visus est, ut quis inde suspicari potuisset, eum in fabellis Phaedri imitandis sese exercuisse, perspicuum tamen est id salse ac iocose Poetam, more suo, dixisse, ut amicum potius nil bonae frugis molientem argueret, quam quod revera literis et Fabellis potissimum conscribendis eum incumbere arbitraretur. Sic quidem Epigramma est adgressus:

Dic

(1) In Biblioth. Graec. lib. II. c. 9.
(2) Ad Bibl. cit. Fabric.
(3) Differt. de Avian.
(4) Stor. e rag. di ogni Poef. Tom. IV.
(5) Praef. in Fabul. fuas.
(6) In Encyclop. Gallic. art. Fabulift.
(7) Confolat. ad eund. Polyb. c. 27.
(8) Libr. III. Epigr. 20.

Dic, Musa, quid agat Canius meus Rufus:
Utrumne chartis tradit ille victuris
Legenda temporum acta Claudianorum?
An quae Neroni falsus adstruit Scriptor?
An aemulatur improbi iocos Phaedri?
Lascivus Elegis, an severus Herois?
An in cothurnis horridus Sophocleis.

Tum pluribus huiusmodi additis his verbis Epigramma claudit:

Vis scire quid agat Canius tuus? Ridet.

Et re quidem vera haud multos nancisci cultores poterat huiusmodi scribendi genus. Leve enim ac tenue per ea tempora habebatur, nec satis fortasse dignum maiestate Romana. Avianus certe ideo se fabellas adgressum ait (1), quod orationes ac poemata moliri non valeret, et Phaedrus praeterquamquod interdum tenuitatis veniam petere est coactus, ideo susceptum opus in obtrectatores ac contumeliosos contemtores defendendum ac tutandum suscipere debuit (2). Tum res erat interdum invidiae molestiaeque plenissima, quemadmodum ex Phaedri exemplo patet, nec aequam saltem laudem et iustam labori operam comparari posse videbatur. Vix sane credibile est quomodo Phaedri vix unus et alter, Titiani unus tantummodo, Aviani vero ne unus quidem veterum meminisset, et quomodo insuper Titianus totus interciderit, et Phaedrus tam sero et mutilus prodierit in lucem. Et si Aesopus tantam famam obtinuit, haud factum quoniam Scriptor fuisset fabularum: Nam longe verisimilius est eum ne unam quidem scripto tradidisse (3), sed

(1) Praef. in Fabul. suas.
(2) V. Prol. libr. III. v. 4. et Fab. XII. v. 8. Prol. lib. IV. v. 1. Fab. VI. et XX.
(3) V. Thom. Gataker. de novi Instrument. stilo. cap. 23. Richard. Bentlei. Dissert. de Aesop. fabul.

sed quod earum inventor et Auctor praecipuus haberetur; atque oporteret, ut scripturae genus aliquo saltem nomine honestaretur. Stantibus adhuc igitur Latinis literis frustra alii praeter Phaedrum fabulatores quaeruntur, quibus Fabellae novae vel levi coniectura attribui possint.

VII. Pulsa porro per invectam barbariem Latinae linguae puritate atque elegantia, rectaque scribendi regula corrupta; quisnam serio Fabellarum novarum Auctorem per ista tempora quaerere instituet? Quum neglectae et iacentes erant literae, sermo vitiosus ac barbarus, inculta et torpentia ingenia, quum nihil conscriptum est nisi inficetum, rude, ineptum, ac barbarum conscribine Fabellae nostrae potuerunt, quae inventionis solertia et elocutionis elegantia cum solertissimis et elegantissimis certant? Et re quidem vera, saeculo, ut videtur, XI. floruit sane Fabulator Elegiacus, quem modo Gualterium, modo Bernardum, modo Romulium, modo Anonymum appellarunt (1); sed qui Salo Parmensis reapse fuit, quemadmodum praeter cetera argumenta a nonnullis doctis viris prolata (2), ex epigraphe etiam probati Codicis rubris literis exarata didicimus: Verumtamen toto, ut loquuntur, Coelo, quoad stilum et elocutionem Salonis fabellae a Novis nostris distant. Julius Caesar Scaliger sat magnifice, de Salonis stilo est locutus (3), at viri ceteroquin doctissimi para-

(1) V. Gyrald. de Poet. Lat. Dial. IV. p. 306. edit. Jensii. Dominic. Mar. Mannium Praef. in Fabell. Anonym. Ital. versas. Florent. 1778. I. A. Fabric. Biblioth. Graec. cum Harlesio lib. II. c. 9. Latin. cum Ernest. libr. II. c. 3.

(2) V. Franc. Massarium Venet. Praefat. ad Fab. Salon. Aesop. Avian. etc. Irenaeum Affò Memor. degli Scrittor. Parmegg. Tom. I. num. 2. p. 17. etc.

(3) In Hypercritic. seu libr. VI Poetic. c. 4.

radoxum nemo ullus; quod ego sciam; probavit. Sed omnes potius in adversam sententiam Bebelii (1), Gyraldi (2), Barthii (3), concesserunt. Nec revera simile Desbillonii de Salone iudicium a veritate alienum videtur. *Anonymus* (Salo), ait (4), *scriptor est incursione verborum ac sententiarum plane importuna horridus, dicacitatis appetens, ineptiarum prodigus, aliquando tamen ridicule fucatus*. Praeterea quum iste Salo non paucas fabellas habeat stilo quidem a Novis discrepantes, sed subiectae materiae ratione omnino simillimas, nihil luculentius, ut arbitror, fabellas nostras ab eo removet, atque abiudicat. Quod autem de Salone dicimus, potiore iure dicendum est de ceteris, qui nescio quas Fabularum ac Apologorum species, per eadem tempora scripsisse feruntur. Certe quidem nec Alanus ab Insulis, nec Adolphus seu Adelphonsus, nec Doliganus, nec Anonymus quidam sec. XIV., nec alii si qui sunt huiusmodi (5) barbari omnes ac inficeti Scriptores, morari nos vel levissime possunt. Joannes Sarisberiensis vir supra aetatem suam eruditus fabellas quidem est adgressus, sed unam tantummodo scripsit, et elego quidem carmine (6). Tum ea nec puritate nec elegantia sermonis comparari cum nostris potest. Auctor ergo Fabellarum novarum ne per ista quidem tempora floruit. VIII.

(1) In Epist. de Auctorib. legend. ad Eloquent. comparandam.

(2) Loc. cit.

(3) Adverf. III. c. 22.

(4) Praef. in Fabell. fuas.

(5) V. Polycarp. Lyfer. in hiftor. Poetar. et Poemat. med. aevi. Frideric. Freytag. in Apparat. Literar. Tom. I. §. 17. n. 18. 19.

(6) V. Alb. Fabric. Bibl. med. et infim. Latin. lib. XI. p. 296. edit. Manfii.

VIII. Superest omnino ipsius Perotti aetas, qua primum Latinae literae, et bona studia a longo veluti exsilio revocari coeperant, et coli. Equidem lubenter fateor bonas artes, Latinasque literas magno tum ardore fuisse expetitas, ingentemque virorum doctorum cohortem occurrere, qui Poetae, Grammatici, ac Oratores praedicarentur. Attamen ne tum quidem ullus fuit, cui Fabellae novae merito inscribi possint. Qui enim ea tempestate in huiusmodi scribendi genere sese exercuerunt noti sunt, nec alios facile invenies, qui Apologis tum dedissent operam, nisi Gregorium Corrarium, Franciscum Philelphum, Leonem Bapt. Albertum, Bartholomaeum Scalam, Grazzinium Florentinum, et obiter tantummodo Colucium Salutatum, Augustinum Dathum, et Joan. Bapt. Cantalycium. Inter horum autem fabellas, quas vidimus, non modo Novae nostrae nusquam apparent, verum etiam stilo, ingenio, metro, ceterisque omnibus characteribus sunt prorsus aliae. Amplissimus autem Vir Petrus Bembus, quamvis Corrarii Civis pronuntiare non dubitavit (1): Apologos eius tenues esse et inficetos, nullamque eum laudem fuisse exinde promeritum. Et Corrarius sane inter politiora et praestantiora aevi sui ingenia eminuit (2). Philelphi autem fabulae, illius nempe nostrarum literarum tum coryphaei, ineptiores sunt, absurdiores, ac stilo plane barbarae. Et ne quis haec ad invidiam iactata autumet, quoniam eae rariores inventu sunt, unam et alteram hîc modo subiungemus, quo nostri iudicii aequitas appareat; quumque fa-

(1) Letter. volg. vol. II, libr. 2. pag. 29.
(2) V. Giov. degli Agostin. Scrittor. Venet. Tom. I. p.188. Giov. Andres Catalog. de' Codic. MSS. Capilup. Cod. XX.

fabella nostra, quoad subiectam materiam simillima sit Philelphi fabulae, hanc nos data opera adducemus, quo facilius possint invicem comparari. Sit igitur;

FAB. I.

De Lupo et Villico arante.

Est Lupus, et fugiens custodem implorat aratri,
Ut sibi quo fugiat monstret abire, locum.
Spondet se vitulos et oves dimittere tutas,
Atque suos pariter non maculare boves.
Cultor, ait, stipulis illis tumulabere tutus,
Hic tibi nil noceat, si paleatus eris.
Nec timeas te forte ullo discrimine pandi,
Quod lateas, testor, verbula nulla feram.
Quomodo quis loquitur quidquid persaepe notabis
Fidus ab infido raro cavere solet.
Hic latet, ecce subit socius armatus, et acri
Fuste lupum pastor cum feritate sequens.
Arvicolam si forte lupum conspexerit usquam,
Turbo rogat, nusquam pandas arator, ait.
Inter verba tamen paleas signabat ocellis,
Et sibi connivet sublatitare feram.
Ipse lupus macet, rimis dum conspicit horrens,
Post factum frustra poenituisse iuvat.
Quum foret incautus pastor, nec signa teneret,
Hinc abit, et silvas lustrat et omne nemus.
Sed dum per silvas vestigia nulla videret,
Ad vacuum tandem tristis ovile redit.
Saepe diem, sed nulla diu sors parcit iniquo,
Saepe sua simplex simplicitate perit.
Saepe fit insontes dant crimina munere sontes,
Finguntur caussam noscere crede nefas.
Post fert se lupus, et grates persolvit aranti,
Jam redeo tutus munera lustro tua.
Turpe supercilium mihi, sed non defuit ex te;
Antidotum voto quaeso referre pari.

De

De naturali numquam confideris hoste,
Laedere quando valet, foedera nulla valent.

FAB. II.

De egregio Tonsore.

Tonsor erat Romae quo non praestantior alter,
Forpice vel pilo tondere fronte pilos.
Insuper ignotas et notas munere nullo
Tondebat, tonsis dans pia verba viris.
Ite, gubernate, nostro quandoque labori,
Pro cunctis solvens maximus unus erit.
Interea primam se fert Augustus in Urbem,
Tonsorem egregium regia barba petit.
Hic accitus adest, summumque novacula Regem
Clari Tonsoris officiosa polit.
Regis Artifici Pincerna sui obtulit aurum,
Pilifer oblatum sumere sponte negat.
Inquit se gratis multos tondisse per annos,
Qui sibi pro cunctis solveret opperiens.
Expectatus adest Caesar, qui longa merentis
Vota, vel acceptum solvere debet opus.
Augusto referunt, is sic dum comperit esse,
Aurea pilifero multa talenta dedit.
Grata viris et grata Deo fit gratia dandi,
Antidotum tandem suscipit illa suum.

Atque is est magnus ille Philelphus tanta Latinarum literarum ea tempestate fama ac laude illustris. Quam immane discrimen et incredibilis a Fabellis novis discrepantia! Idem autem et de ceteris coaevis fabulatoribus dicas.

IX. Et re quidem vera medio fere seculo XV, haud ea fuit literarum nostrarum conditio, haud ea ingeniorum felicitas et cultus, ut quis ad solertiam, venustatem, atque elegantiam Fabellarum novarum accedere potuisset. Et palam est eas longe praestare carminibus omnibus summorum tum

Poetarum Maphei Vegii, Basinii Parmensis, Antonii Campani, Jani Pannonii, Antonii Panhormitae, Ugulini Verini, Leonhardi Bruni, Petri Candidi Decembrii, Christophori Landini, Antonii Codri Urcei, Leonhardi Griffii, Pacifici Maximi, et si alii poetica laude claruerunt. Tum non unus stilus Fabellas novas ab ista aetate removet, sed interior quoque earum ratio, proprium, ut ita dicam, ingenium, et subiecta etiam materia abiudicant. Quum enim Fabellae ad vitam recte et sapienter instituendam, atque ad mores emendandos sint ordinatae, quod Phaedrus (1) etiam, Avianus (2), aliique passim praedicarunt, aequum plane est, ut ad aevi sui instituta, vitia, religionem, ac cetera huiusmodi quandoque saltem Fabulatores spectent: Quod profecto et veteres, et recentiores, et quos singillatim paullo superius adduximus, egregie praestiterunt. At in Fabellis novis nullus mos, nullum institutum, quod seculo XV. obtinuerit vel memoratum et levissime spectatum occurrit. Praeterea dignum est observatu ex incredibili illa Poetarum vi neminem tum extitisse, qui Poeta iambicus dici potuisset, vel qui eo carminis genere quo Fabellae novae sunt concinnatae delectaretur; et si unus et alter aliquam Tragoediae vel Comoediae operam dedit, alio iamborum genere est usus, mirarique sane subit quomodo in tot carminum et epigrammatum myriadis tum vulgatorum, ne unus quidem, nisi rationes fallunt, Phaedrianus iambus occurrat. Tandem vero, si Fabellae novae a Perotti aequali, vel aetate paullo superiori conscri-

(1) Prol. libr. I. v. 3. Prol. lib. II. v. 1. etc. Fab. V. v. 1. etc. etc.
(2) Praef. in Fab. suas.

scriptae fuissent; quis crediderit eas per summam iniuriam non Auctori suo, non ipsi sibi saltem; sed nescio quibus veteribus scriptoribus spectatae probitatis Virum tribuere voluisse? At qui eius aetatis mores novit probe videt quantum haec sint absurda. Nec concipi porro potest quomodo nullo Amanuensis vitio, tot versus luxati et corrupti inter plures rectos egregios emendatissimos offendantur. Opus profecto fuit ut ex vetusto MS. Codice, non ex recentissimo libello describerentur. Perspicuum ergo est non modo nullum adesse argumentum, quo Fabellae novae medio fere sec. XV. conscriptae videantur, sed omnia prorsus ab ista aetate removere eas et abiudicare.

X. Ex his autem liquido, ut arbitror, ac luculenter apparet, ne Perottum quidem Fabellarum novarum Auctorem haberi posse. Quamvis enim doctus, proque temporum conditione apprime eruditus fuisset, stilo tamen Poetis illis, quos adduximus, vel omnino cedit, vel certe non praestat. Verum quidem est ipsarum Fabellarum Phaedri Auctorem a Petro Scriverio (1) Perottum habitum fuisse, tum eas revera a Perotto conscriptas peculiari disputatione (2) Stephanum Marchesellium, ut superiori Dissertatione innuimus (3) contendisse, idemque non paucis libellis editis pervicacius Fridericum Christium tueri conatum fuisse (4): At commentum huiusmodi ridendum magis quam refellendum videtur. Tot enim luculentissimis in-

vi-

(1) Comm. in Martial. libr. III. Epigr. 20.
(2) Esame della Raccolta Pesar. libr. IV. nella nuova Raccolt. di opusc. Scientif. e Filolog. Venez. 1772. Tom. XXIII.
(3) §. II.
(4) De Phaedr. eiusq. Fabul. Prolus. etc. Praefat. in Fabul. veter. Aesop. Libr. II. etc.

victisque argumentis librorum Phaedri genuinitas est explorata, ut nescio quid amplius vel difficillimi ingenii, et dicam etiam, impudentis oris literatores quaerere adhuc atque expetere possint. Et profecto praeter sermonis puritatem atque elegantiam seculum Augustaeum vel parum eruditis aperte redolentem; praeter ipsarum rerum, quae afferuntur naturam, ingenium, conditionem, praeter auctoritatem Val. Martialis (1), et Flav. Aviani (2), qui de Fabellis Phaedri meminerunt, praeter incredibilem praestantissimorum Virorum numerum, qui miro consensu Fabellas Phaedri ad coelos ferunt; certissima saltem Pithoeani et Remensis Codicis vetustas, quae in oculos omnium, dum extiterunt, incurrit, pudorem imponere vel impudentissimis debebat. Petrus Pithoeus, Jacobus Sirmondus, Nicolaus Rigaltius, Marquardus Gudius Viri literatissimi, et palaeographiae peritissimi utrumque Codicem, quos diligentissime versarunt, ut veterem dubio procul priscamque scripturam semper tenuerunt. A Perotto autem ad Pithoeum, Sirmondum, Rigaltium vix seculum intercessit, et sicuti omnes horunt orthographia, ac omnis scripturae ratio una fere atque eadem mansit, ideoque, si Codices a Perotto vel coaevo exarati fuissent, tum ipsi pueri, tyronesve nedum Viri in veterum librorum usu consummatissimi novitiam recentemque manum agnovissent. Quin Abas Pluche, qui et schema eius scripturae edidit (3), Pelleterius de Rozambo, D. Clementius, Gabriel Brotierius Viri doctissimi et integerrimi ex

(1) Libr. III. Epigr. 20.
(2) Praef. in Fab. suas.
(3) Spectacl. de la Natur. Tom. VII.

ex ipsis MSS. Desbillonius autem ex tabula inde diligentissime expressa distincte, singillatim, et affirmate iudicarunt neutrum Codicum post seculum IX., minus nempe bene quingentis circiter annis ante Perottum natum, scriptum omnino videri (1). Quamobrem rectissime utrumque Codicem *vetustissimos* appellabat Rigaltius (2). Neque porro qui Fabellas Phaedro abiudicabant, ac Perotto tribuebant iis saltem argumentis fecerunt, quibus opinio sua ferri saltem a lectoribus potuisset : sed Scriverius, immutato fortasse consilio, omnino tacuit, Marchesellius in tam abrupta, incredibilia, absurda, ac pugnantia abreptus est, ut patientissimae lectionis Viro Hieronymo Tiraboschio (3) defuerit animus, ut ea omnia percurreret. Christius tandem ea est commentus, quae somniantis potius hominis deliria, quam docti et prudentis viri lucubrationes dixeris. Quaenam namque sunt, nisi commenta et somnia : extitisse scilicet fabulatorem veterem alium quidem a Phaedro, sed cujus aetas, nomen, patria, ceteraque omnia penitus essent ignota ? Tum eum inclinatis latinis literis solutum ac interpretatum a plerisque fuisse, ipsum vero, dum ineptae interpretationes, servabantur lachrymabili fato totum intercidisse. Praeterea Nicolaum Perottum inventum, qui ad eum ex istis interpretibus in numeros suos restituendum dedisset operam, fabellasque sub falso Phaedri nomine edidisset : Et sibi tandem reservatam gloriam, ut veterem fabulatorem ad genuinum metrum, germanos

(1) V. Desbillons. Disputat. II. praefix. Phaedr. suo.
(2) Epist. ad Aug. Thuan. Phaedr. suo praefix.
(3) V. Letterat. Italian. Tom.I. Part.III. Libr. III. Cap.I.

nos lepores ; et priscam elegantiam vindicaret et restitueret (1). Haec quidem omnia sive Christii sive etiam Marchesellii commenta si singillatim persequenda, ac refellenda sumserim, ne operam otiumque meum perderem, lectorumque patientia abuterer. Nihilominus quum multi nominis inter doctos viros fuisset Christius, et fucum opinione sua nonnullis fecerit (2), abs re non erit, si quae in Phaedri genuinitatem urgebat breviter perstringamus, ipsumque somnii fundamentum penitus eruamus.

XI. Cum primis ergo ait: Si Phaedrus vetustior est revera fabulator, et ex eo Romulus, Anonymus antiquus, aliique, profecerunt, quomodo isti alium fabellarum ordinem servant? Dicendum est hunc ordinem ex alio fabulatore desumi. O invictum argumentum, et mirum Christii acumen! Sed ego contra inquam: si Perottus, seu si quis alius ex Christii opinione est Phaedrus, ex iis Interpretibus profecit, cur eorum ordinem immutavit? Et si id Perotto licuit, cur Romulo, Anonymo licere non potuit? Quin isti aliique Interpretes nec idem sibi invicem ordinem servant, sed quisque suum condit, fingitque. Nam quum ex vetere Scriptore fabellarum Epitomen colligerent, quae videbantur potiora, eo loco ac ordine, qui magis arridebat, disponebant. Praeterea quum Phaedri libri ad nos mutili pervenissent haud exploratum plane est hunc ordinem, quem modo fabellae obtinent, ita plane ab Auctore suo primum constitutum, nilque facilius in fabellis fieri potest, quam aliqua ordinis inversio atque immutatio. Unde

(1) V. Praef. in Fab. veter. Aesop.
(2) V. Script. Act. Lipsiens. ann. 1749. mens. Decembr.

de etiam factum est ut fabellas Aesopi in singulis fere Collectionibus alio semper ordine tributae inveniantur (1). Sed quid fabellas Aesopi dico, si etiam Ciceronis epistolae, Catulli, Tibulli, Propertii, aliorumque carmina alio atque alio ordine diutius ex veteribus Codicibus sunt excusa? At argumento instat Christius *sine exceptione*, ut ait (2), *invicto*; quod scilicet Romulus scribat: Aesopum posuisse primam fabulam eam de gallo gallinaceo et margarita, quae est XIII. Lib. III. in vulgatis libellis Phaedri. Ita quidem: Sed primum reponi potest Romulum eo Phaedri Codice usum, quo illa fabella initio reapse scripta fuisset. Et si Perottus primam in Epitome sua locavit, quae in vulgatis est XXI. Lib. IV. tum alteram, quae est X. Lib. III. et ita porro, quidni ante Romulum alii huiusmodi Epitomatores esse potuerunt? Atqui ex trunco revera et mutilo Phaedri libro fabellas suas desumere debuit Romulus, quum Auctorem non Phaedrum, quod omnino ex Epigraphe, aliisque locis pervidere poterat, sed Aesopum appellat. Et quum hunc praecipuum fabellarum Auctorem teneret, ad ordinem alicuius Graecae Collectionis Phaedrianas fortasse digessit. At quomodo Christius Romuli auctoritatem ad rem istam adducere audet? Romulus, praeter cetera ineptissima, haec in Praefatione scribit (3): *Aesopus quidam graece sapiens et ingeniosus de Civitate Attica discipulos suos quid homines observare debeant docens, hunc librum composuit. Id ego Romulus de graeco sermone*

 in

(1) V. Thom. Gataker. de nov. Instrum. stil. cap. XXIII. Collection. Lips. Basileens. Mich. Maittair. Franc. de Furia etc.
(2) Loc. cit.
(3) Praef. ad Fab. suas a Frider. Nilant. edit.

in latinum transtuli sermonem. Qui Phaedrum, ut ipsi caeci vident, solvit ac interpretatur, et tam infande tamen et inepte mentitur, quam fidem, quaeso, meretur? Et si ista Praefatio ad aliam et diversam Fabellarum Aesopiarum syllogen spectat, ut potius tenendum videtur, tum nec Christii omnino, nec nostra amplius intererit.

XII. Urget porro Christius metrum Phaedrianarum fabellarum a vetere Latino Poeta proficisci haudquaquam potuisse, quum Apologi cultiori iamborum genere scribendi sint, eo scilicet, quo paribus sedibus pes iambus semper religiose servatur. Sed a quonam, cedo, ista lex de Apologorum iambis est lata, vel a quibusnam saltem Latinis fabulatoribus exemplo suo est confirmata? Si universae Comoediae veteres illis iambis, quos Christius respuit, compositae fuerunt, cur Aesopii apologi tenue etiam ac diductum scripturae genus eos iure non recipient? Si Laberius, et Publius Syrus mimos, moralesque sententias (1), si Vulcatius Sedigitus (2) gravius etiam opus, si Apuleius epigrammata (3) eo metro scripserunt, cur fabellae scribi eodem pacto non potuerunt? Quin si in ipsis Tragoediis, quae epico carmini sunt proximae, illi ipsi iambi ab universis veteribus scriptoribus Livio Andronico, Q. Ennio, Cn. Naevio, M. Pacuvio, L. Attio, atque etiam Caesare, Varrone, et Cicerone in iis, quae ex Graecis convertit sunt recepti et probati (4), quare ab

(1) V. Petron. Satur. cap. 55. A. Gell. Noct. Attic. lib. X. c. 17. Macrob. Saturn. libr. II. c. 7. etc.
(2) A. Gell. Libr. XV. Cap. 24.
(3) In Apolog.
(4) V. Collect. Fragment. Veter. Tragic. Martin. Deltii et Cicer. in Tuscul. de Divinat. de Finib. etc.

ab unis Apologis sunt omnino removendi? Atqui Phaedriani iambi cultu, numero, et peculiari sua structura et comicis et tragicis horum Scriptorum plane praestant. Horatius quidem (1), et Terentianus Maurus (2) malebant pedem iambum in paribus sedibus servari, sed ille de Lyricis potissimum et de Tragicis loquebatur, et nihilosecius non dubitavit appellare nobiles Accii et Ennii trimetros, in quibus iambus in illis sedibus rarissime appareret:

. . . . *Hic* (II. et IV. sede) *et in Acci*
Nobilibus trimetris apparet rarus (iambus), *et Enni.*

Alter vero Comicos, quibus Fabulatores omnino sunt accensendi, hoc pacto excusat (3):

Sed qui pedestres fabulas socco premunt,
Ut quae loquuntur sumta de vita putes,
Vitiant Iambum tractibus spondaicis,
Et in secundo, et ceteris aeque locis,
Fidemque fictis dum procurant fabulis,
In metra peccant arte non inscitia.
Ne sint sonora verba consuetudinis,
Paullumque rursus a solutis differant.

Tandem si Fabellae Aesopiae quotquot ex Graecis Scriptoribus colliguntur (4), quasque Aristoteles, Xenophon, Diodorus Siculus, Dio Chrisostomus, Plutarchus, Maximus Tyrius, Aphthonius, aliique servant, fere omnes ipsa prorsa oratione et sermone pedestri scriptae occurrunt, quidni Latinae eleganti et numeroso iamborum genere scribi nequiverunt? Nil ergo omnino obstat quin fabellae Phae-

G 2 dri

(1) In Art. Poetic. v. 257.
(2) De Iambic. Carmin.
(3) Loc. cit.
(4) V. Collect. Fabul. Aesop. Basil. an. 1780. Uden. Nisiely. Proginnasm. Poetic. Tom. IV. Pag. 18. etc.

dri eo iamborum genere vel Augustaeo aevo conscribi potuissent. Sed cur, pergit Christius, inter eos multi puriores occurrunt et probatiores versiculi? Hi alienam manum produnt. O rem miram! Perinde ac in Tragicis et Comicis universis, quos adduximus, multi etiam non appareant inter negligentiores puri illi et exquisiti iambi, quos probat Christius. At is tenere nos tandem ait. Nam ex duodecim supra centum fabellis, quot scilicet Anonymus antiquus, et Romulus Nilantii servant, quinque vel sex ferme versiculos iambicos eruit, qui paribus sedibus iambos habent. At quomodo non vidit Christius vel sexcentos huiusmodi in libellis Phaedri occurrere, versiculosque a se repertos cum Phaedrianis esse quam simillimos? Quid autem mirum in plusquam centum Fabellis ex versiculis iambicis solutis paucos illos nec integros colligi, si Phaedrus eos plerumque habet? Quin si eorum ne vestigium quidem in Phaedro appareret haud affirmari statim posset ad alium Poetam iambicum pertinere. Nam ipsis Interpretibus imprudentibus, et ex fundo, ut ita dicam, suo excidere pauci illi versiculi potuissent. Ex Senecae Epistolis, ut aliorum Scriptorum prosam praeteream, vel ipsissimis verbis, vel lenissima prorsus immutatione plurimi iambi, quos unice probaret Christius, nullo negotio colliguntur, ut quisque suo periculo experiri potest. Apuleii vero Metamorphoses totae fere in hoc metrum coerceri posse videntur. Itane ergo Senecae epistolas et Apuleii Metamorphoseon libros huiusmodi iambis constitisse quis colligere inde posset, argumentumque inde sumere, quo in illud metrum ea coerceret? Id ne in Christii quidem mentem cadere, ut puto, potuisset. Sed quot versiculi difficilioris etiam me-

metri singulis ferme prosaicis Latinorum Scriptoribus excidissent iamdiu plurimi docti Viri animadverterunt (1), nosque id superiori etiam Disputatione attigimus (2).

XIII. Christius vero pergit, Phaedrique Fabellas spurias et novitias esse clamat, quod illepidae et invenustae sint, et saepe barbarae et minus latinae. Praeclarum inventum! Scilicet quo ex capite universa doctissimorum Virorum cohors consensu unanimi non in probatos modo Scriptores, sed in elegantissimos ac latinissimos Phaedrum accenset, ex eo ipso Christius inter ineptos ac semibarbaros ablegat. Equidem adferre hîc innumera de clarissimo Fabulatore elogia possem, sed actum agerem, lectorumque in Latinis iudicium offenderem. Afferam tamen verba Francisci Vavassoris scriptoris politissimi, utpote magis ad rem congruentia: *Memini quidem*, aiebat (3), *Jacobum Sirmondum narrare mihi solitum, quum Petrus Pithoeus hos Phaedri Aesopiarum fabularum quinque libros edidisset, primumque ad se Romam pro veteri amicitia muneri misisset, percussos illico Romanos novitate voluminis, atque, ut gens est* emunctae naris, natura numquam verba cui potuit dare: *suspicari coepisse num quidnam partus iste recens ac supposititius esset, qui tanto intervallo appareret, tamque delituisset diu. Verumtamen perlecto toto neminem dubitasse, quin aetatem redoleret Augusti, et summam illam facilitatem stili et scripturae, et beatam copiam repraesentaret*. Quidnam contra valet Christii iudicium? Omnino misera literarum conditio esset,

(1) V. Al. Fabric. Biblioth. Latin. Libr. II. Cap. 21. §. 2.
(2) §. VII.
(3) De ludicr. diction. loc. cit.

set, si ex unius alteriusve iudicio pretium earum decerneretur! Si divinus Cicero maxime sorduit Asinio Pollioni, Asinio Gallo, Largio Licinio, et aliis (1), si quibusdam *Maro visus est soloecus, et barbarus Livius*, ut Erasmi verbis (2) utar, quid mirum si isti Christio Phaedrus noster non placuerit? At quomodo placere poterat, si vix leviter evolverat et versaverat? Haec verba sua sunt (3): *Nam ne quidem inde* (ex libellis Phaedri) *memoriter me tenere multa, ut vel imprudenti se ingererent, puto: Posteaquam olim me non modo non cepit, sed ne morata quidem est aliqua specie illius facundia scriptoris. Solent autem iucundissima lectu, quae mireris impense obhaerere animo, quae levi studio tetigeris non item.* Tum quamvis homo impense doctus corrupti tamen ac insulsissimi iudicii Christius fuit. Cicero, Virgilius, Livius, Catullus, Tibullus ei sordebant, scriptores maximi et elegantissimi Plautus, Persius, Juvenalis, Tacitus, Gellius (4). Et ut luculentius etiam pateat, quam iniurius latinis literis, suaeque famae fuerit Christius tum his paradoxis, tum illis fabulis suis, quas Phaedrianis praeponere impudentissime non dubitavit, nos unam tantummodo ad specimen et Phaedrianam et suam adducemus, ut quisque ipsis suis oculis modo videat, quam plumbeus in latinis fuerit Christius, et quantum Apollo distet a Marsya. Haec initio libellorum suorum Phaedrus; nam ulterius progredi necesse non est:

Lu-

(1) V. A. Gell. Noct. Attic. XVII. c. 1.
(2) Epistol. 510. Tom. III. Oper. p. 555. Edit. Cleric.
(3) Praef. cit.
(4) V. Nouvell. Biblioth. Germaniqu. Tom. XXIII. Part. II. art. 9. pag. 366. etc.

Lupus et Agnus.

Ad rivum eumdem Lupus, et Agnus venerant
Siti compulsi: superior stabat Lupus,
Longeque inferior Agnus: tunc fauce improba
Latro incitatus, iurgii caussam intulit.
Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi
Istam bibenti? Laniger contra timens:
Quî possum, quaeso, facere, quod quereris, Lupe?
A te decurrit ad meos haustus liquor.
Repulsus ille veritatis viribus,
Ante hos sex menses male, ait, dixisti mihi.
Respondit Agnus: Equidem natus non eram.
Pater, hercule, tuus, inquit, maledixit mihi.
Atque ita correptum lacerat iniusta nece.
Haec propter illos scripta est homines fabula,
Qui fictis caussis innocentes opprimunt.

Ut venusta sunt omnia hîc, ut latina, ut propria, et quam merito doctus ille bonarum literarum censor de Batteaux profitebatur fabellam hanc millies lectam; millies aeque semper placere (1): Haec vero est Christii fabella, quam huic Phaedrianae praeponebat:

Agnus et Lupus.

Ad rivum eumdem fertur *Agnus, et Lupus,*
Ut in remota parte *deponant sitim.*
Diversa *quisque* spatia *per ripam tenent.*
Supra lupi vis, *longe at inferior stetit,*
Ut biberet, *agnus. Huic ut* hostis litiget
Quibus ciendae cumque rixae vocibus,
Perturbat, *inquit,* ille *aquas* puras *mihi,*
Respondet agnus: qui queo inferius bibens?
Decurrit *abs te* per *meos* rictus *liquor.*
Non cedit ille veritati. Tu mihi

Ma-

(1) Cour. de Bell. Lettr. Part. II. Sect. 1. Art. 1. §. 3.

Maledicis, *inquit*, mensibus sex *his modo*:
Sed natus illo tempore, agnus, non eram.
Nisi tu, male ergo dixit ante *tuus pater*.
Rabidum *scelesta fauce concitus* intonat.
Sive aiat *istud* crimen, *ille seu neget*
Fatum *innocenti triste* venturus *lupus*.
Iras potentum nostra tangit fabula,
Qui lite ficta *saepe* tenues *opprimunt*.

Quam inficeta ista in fabella sunt omnia, quam inepta, ut plura etiam barbara, atque ab omni latinitate aliena! Nos praecipua aliis characteribus expressimus, ut facilius Lectores animadvertere possent. Nam res commentario non eget (1).

XIV. Verum de semita in viam regrediamur, et quae insuper fabellas novas a Perotto abiudicent persequamur. Palam est nullum librum opusve auctori certo attribui posse nisi genuinus adsit titulus, vel coaevorum testimonia, aut stili scripturaeque germanitas accedat. Quid autem horum in Fabellis novis occurrit, quod Perottum auctorem innuat, vel potius, quae non adsunt quibus quam longe ab illo amoveantur? Ipse sane Perottus non modo nullam fabellam, nullum versiculum, nullum verbum ex eis sibi tribuit, verum etiam aliis Scriptoribus omnino perspicue abiudicavit: quod nullo prorsus pacto factum fuisset, si ad se fabellae spectassent. Minime enim credibile est hominem laudis suae cupidissimum, qui vel minima quaedam et inepta acerrime sibi vindica-

(1) V. et. Christoph. Harles. Brev. notit. Libr. VI. §. 1. Adolph. Klotz. Lect. Venus. p. 22. Iacob. Dorvill. ad Chariton. Aphrodis. Libr. I. c. 3. et Libr. III. c. 4. Ioseph. Desbillon. Disput. II. ad Phaedr. suum. Nicol. Funcc. Apolog. pro Phaedr. etc. etc.

dicavit, et ambitiose inscripsit; tam egregium Fabellarum opus non sibi, sed nescio quibus adtribuere voluisse. Quod quidem aetatis eius potissimum moribus inspectis tanti momenti est, ut unum satis ad propositum videatur. Sed accedit maxime, praeter absolutam coaevorum et ceterorum omnium silentium, gravissima prorsus stili discrepantia, quae rem omnem invicte conficit. Habemus tandem modo Perotti carmina, scimus probe quid in poetica facultate Perottus valuerit, et quae tota eius in versiculis pangendis solertia atque elegantia fuerit iam novimus. Quum eius epigrammata et iambica carmina cum Fabellis novis invicem conferuntur tantum est in universis discrimen, ut nulla institui possit comparatio. Et nisi profecto constaret, quod etiam alibi observavimus (1), Perottum omnium primum de metris tum egisse, atque aetate sua carmen iambicum ignotum, ut ita dicam, fuisse, incredibile omnino videretur, quomodo doctus alioquin et eruditus homo ne unum quidem versiculum iambicum rectum atque ex legibus pangere potuisset. Nec mirari satis potest, quomodo Phaedrum exscribens et versiculos eius suis immiscens tam faciles et obvias carminis leges vel non viderit, vel exsequi non valuerit. Nequaquam igitur Fabellae novae Perotti opus esse potuerunt. Burmannus quidem scripsit (2): etiam Perotti fabulas in Codice nostro inveniri, eas, quas dicimus *Novas*, eius esse autumans, unamque reapse ex Novis veluti speciminis gratiâ adductam singillatim Perotto attribuit. Sed praeterquamquod iam vidimus, et abunde etiam

H ex

(1) Differt. I. §. XVIII.
(2) Praefat. ad Phaedr. suum edit. 1727.

ex aliis eius operibus patet; quam facile doctus homo in paradoxa, et absurdas opiniones abriperetur, haud aequum est ut istis disquisitionibus eius, aliusve cuiuslibet iudicio stemus. Nec res opinione vel auctoritate, sed argumentorum ac rationum pondere est decernenda. Quin persuasum mihi est numquam id Burmannum dicturum fuisse, si totum Codicem nostrum patienter et accurate excutere potuisset, Fabellasque novas cum Perotti carminibus contulisset. Neutrum vero facere potuit, quum utrisque in totum fere Dorvillii Excerpta caruisse videantur. Secus enim, si fuissent, qui Excerpta ista tractarunt (1) dubio procul ea edidissent, vel saltem de eis pro nata re meminissent. Quod si totum negotium in Dorvillium reiicitur, animadvertendum etiam est, eum paucissimis tantum diebus, ut superius monuimus (2), Parmae fuisse immoratum, ideoque vix tempus suppeditasse, ut in Codice, quo vel aperta et notissima aegre leguntur, quae ex vulgatis libris iamdiu familiaria erant agnoscerentur et colligerentur, Quin fortasse mandata Amanuensi cura fuit, ut editae Phaedri fabulae exscriberentur, ideoque levius etiam a Dorvillio cetera omnia versari, et legi potuerunt. Et quum luculentum ac elegantem scriptorem, ut plerique alii, Perottum fuisse fortasse teneret, nullaque ei adesset ratio, qua aliae insuper fabulae Phaedro attribui possent, quas leviter adtigerat, praecipiti iudicio Perotto attribuit. Attamen nos quid revera tenendum sit iam probe vidimus, semperque erit omnino exploratissimum Fabellarum novarum Auctorem haudquaquam fuisse Perottum. XV.

(1) V. Differt. I. §. III.
(2) Differt. I, §. cit.

XV. Sed iam Tabulae fines, ultra quos excurrere non licet, adtigimus, eosque omnes Scriptores, quibus Fabellae novae adiudicari nequeunt, recensuimus. A proposito aberrare visi fortasse sumus: sed id, ut ab initio innuimus, consulto fecimus. Etenim nisi omnis ratio ac opinio fefellit, verus Fabellarum Auctor veluti ex se iam prodiit, et notus est factus. Nam si unus Phaedrus superest, si unus iste Fabulator restat, quis eum Fabellarum Auctorem non dixerit, quum palam sit nihil in his Fabellis offendi, quod eas a Phaedro alienas evincat? Ideoque hoc argumento ducti haud temere et absurde, ut puto, Phaedro Fabellas novas tribuere possumus et inscribere. Verum, quo id consultius faciamus, si quae potiora sunt ex ordine persequamur.

C A P U T II.

Singillatim argumenta afferuntur, quibus Phaedrum revera Fabellarum novarum Auctorem habendum esse demonstratur.

I. Fabellae et Aesopii Logi inventi, ut paullo superius observavimus, et comparati sunt, ut *vita prudenti consilio moneatur, ut mortalium error corrigatur, et ipsa vita* iterum, *et mores hominum ostendantur*, ut rectissime scribit ipsemet Phaedrus (1). Quamobrem necesse est, ut mores, instituta, Religio, de quibus Fabulatores loquuntur, mores, instituta, Religio plerumque sint aetatis suae. Atqui mores et instituta omnia sacra, et profana, de qui-

(1) In Prologis Libr. I. v. 4. Lib. II. v. 3. Libr. III. v. 50

quibus in Fabellis novis mentio iniicitur, ne uno quidem excepto, aetate Phaedri maxime obtinuerunt. Ita profecto quae de Iove (1), Mercurio (2), Iunone (3), Venere (4), Castore (5), Prometheo (6), quae de Oraculis (7), de poenis Tartari (8), de Ludis Gymnicis (9), de Ludis Circensibus (10), quae de ritu Nuptiarum (11), de Servitute (12), de Suppliciis (13), de Cenis (14), aliisque huiusmodi in eis referuntur. Equidem haud dico haec omnia aetate Phaedri tantummodo invaluisse, sed si Fabellarum novarum Auctor ante Constantinum Magnum florere debuit, potissimum quod de Crucis supplicio, ut de poena aetate sua usurpata est loquutus (15), quinam, cedo, per superiora secula produci potest, cui vel levissima coniectione huiusmodi naturae et conditionis Fabellae attribui possent, nisi unus omnino Phaedrus? 2. Idipsum autem haud leviter, ut arbitror, innuit historiola illa de Pompeio Magno, et eius Milite (16). Ea enim quum leve anecdoton sit, parumque historica gravitate, et maxima Viri Persona dignum, quodque propterea memoriâ servari oportuit, haud diutius post Pompeii aetatem in libellis Fabellarum potissimum celebrari potuit. Phaedrus autem coaevus Augusti fuit, qui Pompeium de facie fortasse novit.

II. 3. Praeterea Fabella etiam de Oraculo Apollinis Del-

(1) Fab. II. IV. XIV.
(2) Fab. III. IV.
(3) Fab. X.
(4) Fab. Cit. et XV.
(5) Fab. XXIX.
(6) Fab. IV.
(7) Fab. VII.
(8) Fab. VI.
(9) Fab. XII.
(10) Fab. XX.
(11) Fab. XV.
(12) Fab. XVI. XIX.
(13) Fab. XIV. XIX.
(14) Fab. cit.
(15) Fab. XIV.
(16) Num. IX.

Delphico (1) Phaedrum Fabellarum novarum Auctorem arguit. Etenim quemadmodum falsum est, quidquid multi adversus dixerint (2), Oracula omnia Gentium Domini Servatoris nostri adventu plane conticuisse ac defecisse (3), ita contra verum est post Neronis aetatem ipsum Oraculum Delphicum ita contemtum et obscurum factum, ut vix nomen eius amplius exaudiretur: Quamobrem quum haud credibile sit Fabulatorem praestantem ex neglecto et deficiente Oraculo occasionem sumere voluisse, ut tam sancta, tam egregia, et praeclara homines edoceret, ipsumque Oraculum per ineptum mendacium valde celebre et venerandum ostendere, dicendum est potius id fecisse, quum Oraculum maiore adhuc fama et celebritate gauderet. Id autem ante Neronis tempora fuit, et propterea quum Phaedrus primus Latinus sit Fabulator, et per istam ipsam aetatem vixerit, nemo ullus, nisi ipsemet Phaedrus eius fabellae, et propterea ceterarum omnium Auctor esse potuit. Equidem non negaverim Oraculum Delphicum duobus iam tribusve seculis ante Christum natum a pristina celebritate plurimum defecisse, sed adhuc profecto ad Neronem usque sat illustre fuit, ut inde Fabulator exemplum ad propositum suum desumere pulchre potuisset. Proxima enim ante Phaedrum aetate ipse Cicero, Plutarcho teste (4), Oraculum illud consuluit, consuluit Appius pro Pharsalico Bello (5): Tum

(1) Fab. VII.
(2) V. P. Balthus Reponse a l'hiſtoir. des oracl. Prefat. etc. Dan. Huet. Dem. Evang. Propos. IX. c. IV. etc.
(3) V. Vandal. Dissert. de durat. atque interit. Oracul.
(4) In vit.
(5) V. Lucan. Pharsal. Libr. V. v. 68. et ſeqq.

Tum Apollonius Tyaneus (1); Dio Chrysostomus certe ante postrema Neronis tempora (2), et ipse Nero potissimum (3). Strabo autem Phaedri coaevus de Oraculo meminit adhuc aetate sua celebri ac illustri (4). At postquam Nero sedem Oraculi delevit, plerosque homines ad eius os necavit, quingentas statuas aeneas, aliaque pretiosiora inde abripuit, Cyrrhaeumque agrum militibus divisit (5), Oraculum Delphicum defecit certe, et obmutuit. Unde Iuvenalis qui sub Domitiano, et Traiano maxime floruit perspicue scribebat: *Quoniam Delphis Oracula cessant* (6). Deinde vero quum Christiana Religio latius latiusque in dies propagaretur, divinaeque sapientiae lumen undique diffunderetur, nec qui dicebantur Philosophi Cynici, Peripatetici, Epicurei, aliique plures divinationem potissimum Delphicam exagitare ac ridere cessarent, quum, ut Plutarchus in peculiari libello de Oraculorum defectu scribit, altum esset Graecorum otium, nullae seditiones et tyrannides, unde illustris divinationis occasio existere posset, quum rerum summa apud Romanos esset, qui Sibyllinis suis contenti, Graecorum Oraculis haud magnopere tenebantur, Oraculum, inquam, Delphicum vix ullo in honore ac pretio esse potuit. Et re quidem vera idem Plutarchus, qui sub Traiano et Adriano maxime claruit, eo totam Delphicam divinationem adductam esse scribit

(1) Philostrat. in vit. Libr. VI. c. 10.
(2) V. Orationes XIII. XV. XX.
(3) Sveton. in vit. Cap. 40. Xiphilin. in Neron.
(4) Libr. IX. p. 421.
(5) V. Pausan. in Phocic. seu libr. X. Plutarch. in libell. de defect. Oraculor. Xiphilin. loc. cit.
(6) Satyr. VI. v. 555.

bit (1) ; ut *viles* tantummodo *ac vulgares quaestiones tamquam in schola* Pythiae *proponerentur*, veluti *an contrahendum matrimonium*, *an navigandum*, *an foenerandum*. Nec sequutis inde temporibus de gravioribus rebus Pythiam consultam fuisse novimus. Et si Aelius Spartianus, qui sub Diocletiano vivebat, nonnulla Delphici Oraculi responsa in vita Pescennii Nigri refert, sive de Pertinacis successore, *quum in motu reipublicae maximo nuntiaretur tres esse Imperatores*, sive de eo, qui Severum excipere in Imperio debuisset, sive de tempore ad quod ipse Severus imperaturus fuisset, omnia prorsus evincunt ea nec Pythiam nec Sacerdotes Delphicos habuisse umquam auctores. Id quidem minute et prolixe persequi nec vacat nec iuvat, addam tamen nonnulla quae satis proposito esse possint. Primum igitur est animadvertendum falsum esse, quod Pertinace necato ii maximi motus de successore extiterint. Omnino enim statim Didius Iulianus salutatus est Imperator, et vix elapso altero mense Septimius Severus summa rerum iam potitus fuit. Nec umquam ea aetate tres Imperatores simul sunt dicti. Albinus a Severo statim post Pertinacis necem adoptatus et factus Caesar per non paucos annos fideliter se gessit, nec nisi ipsius Severi atrocioris ingenii hominis simultate tandem defecit. Quamobrem nec caussa consulendi Oraculi esse potuit, nec ipsum tempus suppeditare. Quis praeterea crediderit aliquot Romanorum Delphos usque cucurrisse, ut de diuturnitate Imperii Severi, deque eius successoribus publice palamque Oraculum consulerent, sub Seve-

(1) Loc. cit.

vero scilicet notissimae crudelitatis homine ; et qui pro virili contendebat , ut filios suos Imperii successores relinqueret , quin ea potissimum de caussa Albinum Caesarem necaverat ? Tandem ista ipsa aetate Clemens Alexandrinus palam prorsus et perspicue Graecis suis exprobrabat (1) quod Delphicum Oraculum iam defecisset . Idem faciebat coaevus Scriptor Minucius Felix (2): Et Porphyrius acerrimus Christianorum osor, qui haud multis post Severum annis data opera de responsis Oraculi egit haec a Pythia prolata fingit (3):

Ablata est Pythii vox haud revocabilis ulli
Temporibus longis, etenim iam cessit Apollo :
Clavibus occlusus silet. Ergo rite peractis
Discedas, Patria et redeas ad limina, sacris.

III. 4. Sed quod Phaedrum novarum Fabularum Auctorem luculentius et gravius evincit stili germanitas est, universaeque scribendi rationis similitudo. Illae profecto fabulae si cum vulgatis Phaedri fabulis conferuntur idem statim ingenium , eamdem elegantiam, eamdem sollertiam, et brevitatem, eumdem denique iambici versiculi numerum produnt atque ostendunt. Quanti autem ponderis stili similitudo et paritas sit nemo non novit, quum potissimum tot, ut ita dicam, circumstantiae et luculentia argumenta accedant . Et quamvis fatear per improbum et diuturnum laborem ad quamdam veterum Scriptorum imitationem nonnullos accedere potuisse, patuit tamen semper disparitas, atque exemplaria ab archetypis non parum plerumque distarunt . Quin immo ex rerum humanarum ordine

(1) Cohort. ad Gentes Cap. II.
(2) In Octavio.
(3) Apud Euseb. Praep. Evangel. Libr. V. cap. 8.

dine impossibile mihi plane videtur, quod duo diversarum aetatum Fabulatores simillimas latinas fabellas scribere potuissent, quae nempe eamdem elegantiam, puritatem, brevitatem, sollertiam praeseferrent: tum eosdem mores, eadem instituta, eamdem religionem spectarent. *Adde*, ad Lucilium scribit egregie Seneca (1), *adde quod plerumque facilius est plus facere, quam idem. Tantam enim difficultatem habet similitudo, ut ne ipsa quidem Natura in hoc ita evaluerit, ut non res, quae simillimae videantur, discrimine aliquo discernantur*. Quamobrem non temere Phaedrus Fabellarum novarum Auctor vel una stili similitudine spectata dicetur. Praeterea in Fabellis novis peculiares quaedam opiniones occurrunt de Iove (2), de Prometheo (3), de Fortuna (4), de Fato (5), de Paupertate et Divitiis (6), quae ipsissimae opiniones sunt, quas Phaedrus in Fabellis vulgatis prodit (7), eaeque videntur sibi bona saltem ex parte omnino singulares. Verum quidem est Auctorem Fabellarum novarum *loquaces* aliquando (8) appellasse Graecos, eosque arguisse, quod immerito se de linguae suae copia magnopere iactarent, quum contra Phaedrus Graeciam *literatam* dixerit (9), et gloriatus fuerit, quod in propinqua regione natus fuisset (10). At

I id

(1) Epist. XXXIII.
(2) Fab. II v. 9.
(3) Fab. IV. v. 1.
(4) Fab. II. v. 4. Fab. VI. v. 2.
(5) Fab. II. v. 13.
(6) Fab. VI. v. 15. Fab. XXIX.
(7) V. Libr. II. Epil. v. 8. Libr. III. Prol. v. 20. Lib. IV. Fab. 10. v. 19. Fab. 14. v. 3. Fab. 19. v. 12. Libr. V. Fab. 8. v. 4. etc. etc.
(8) Fab. XXIX. v. 2.
(9) Prolog. Libr. III. v. 54.
(10) Loc. cit. v. 16. et 54.

id leve est. Nil enim obest, quin Graeci modo merito laudentur, modo etiam merito reprehendantur. Nam revera ut docti et literati erant, ita loquaces, tumidi, insolentes, et inepte gloriosi. Quis maioribus laudibus Graecos extulit nisi Cicero, quis magis adsiduam eis operam dedit nisi Cicero, quemadmodum et ipse palam et saepius professus est (1), quis tum Graeciam tum Asiam ipsam, ut eos audiret peragravit nisi Cicero? At idem Cicero et loquaces eos appellavit, et ineptos, et Graeculos, et in ipsissimas Auctoris nostri de inani eorum iactantia saepius erupit (2). Phaedrus autem, ut par erat, Latinis se accensuit Scriptoribus, qui omnino cum Graecis certare et sese eis opponere volebant. Unde ad Particulonem scribebat (3):

. . . . . Quare, Vir sanctissime,
Particulo, chartis nomen victurum meis,
Latinis dum manebit pretium literis.

Tum Latina erant quae eius amici in chartis transferebant, et Latinae Fabellae, propter quas ingentem gloriam omnino avide expectabat, et audacter etiam postulabat (4). Quamobrem aequum prorsus erat ut aemulos Graecos, ubi data esset occasio, quod alii fecerant, deprimeret. Sed nonne eos revera quodammodo depressit Phaedrus, quum scripsit (5):

Quod

(1) Vid. Oration. pro L. Flacco. De Orator. I. c. 4. In Bruto etc.
(2) V. I. de Orator. c. 22. et 23. II. c. 17. II. Tuscul. c. 15. etc. etc.
(3) Libr. V. Fab. 6. v. 4.
(4) V. Libr. II. Epilog. libr. III. Prolog. Fab. I. Libr. IV. Fab. 6. etc.
(5) Libr. II. Epilog. v. 8.

Quod si labori faverit Latium meo;
Plures habebit quos opponat Graeciae?

Haberi scilicet Phaedrus voluit opus suum vel praestantius vel par operibus Graecis. Opportunum ergo erat, ut Graecos et loquaces et inepte insolentes appellaret, quod Fabella nostra factum est, quae propterea luculenter potius Phaedrum Auctorem ostendit.

IV. 5. Insuper quemadmodum in vulgatis Phaedri Fabulis verae, vel verisimiles Fabulae interponuntur (1), sic in Novis historiolae sunt de Pompeio et eius milite, et aliae similes (2). 6. Praeterea ut in editis (3), sic in novis Fabulis ipso prorsus pacto saepe Aesopus agens loquensve aliquid inducitur (4); quae plane singularis inter Latinos Phaedri institutio videtur. Etenim alius Fabulator non est, qui usurpaverit, et quod observatu magis est dignum, qui Phaedrum solverunt et sunt interpretati vel ab iis Fabellis abstinuerunt, quibus Aesopus inducebatur, vel Aesopi nomen expunxerunt. Quin ex ipsis Graecis Fabulis ex universis Scriptoribus collectis ac corrasis vix paucissimae sunt, quae idem ingenium ac rationem servent. 7. Quoad autem ipsam verborum puritatem et delectum, ceterarumque loquendi formularum elegantiam, nisi in Latinis plane plumbei simus, non modo Phaedriani aevi dignissimas fatebimur, sed illico ipse Fabellarum editarum stilus et germanitas subolebit. Nec dubito quin quo do-

I 2 ctio-

(1) Libr. I. Fab. 14. 18. Lib. II. Fab. 2. 5. Libr. III. Fab. 3. 4. 8. 10. etc.
(2) V. Fab. IX. XIV. XV. XXII. XXVI. XXVIII.
(3) V. Libr. I. Fab. 2. 6. Libr. III. Fab. 35. 14. 19. Libr. IV. Fab. 4.
(4) V. Fab. VIII. XI. XII. XVI. XIX.

c

ctiores et solertiores Lectores erunt, eo magis magisque Fabellarum germanitatem perspicient. Heic sane verborum ac dictionum comparationem instituere locus non est, sed quod maximi momenti videtur, piaculum sane esset praeterire. Phaedrus noster, quemadmodum alii quoque Scriptores, ut paullo post observabimus, nonnulla singularia habet, et quae frustra in ceteris Auctoribus quaesiveris. Sic illud est potissimum, quo abstracta, ut vocant, nomina concretorum loco usurpat. Exempla passim sunt obvia: ita scribit (1):

Gulaeque credens colli longitudinem.

Tum (2) . . . . . . *Servitus obnoxia*

Quia quae volebat non audebat dicere.

Praeterea (3):

Et ferro incubuit, quod credulitas strinxerat;

Et ceteris (4) omissis (5):

Repente vocem sancta misit Religio.

Atqui in novis Fabulis nostris isti ipsi singulares loquendi modi deprehenduntur, quemadmodum ex hoc specimine quisque videre modo potest: Primo(6).

Traxitque ad terram nasi longitudinem.

Tum (7) . . . *dulces perficit*

Aequalitatis inter plausus nuptias.

Insuper (8):

Sic turpitudo laudis obsedit locum.

Tandem (9): *Tripodes moventur, mugit adytis religio.*

At-

(1) Libr. I. Fab. 8. v. 8.
(2) Prol. Libr. III. v. 34.
(3) Libr. III. Fab. 10. v. 33.
(4) V. Desbillons. in addend. ad not. Fab. 3. lib. I. v. 16.
(5) Libr. IV. Fab. 10. v. 4.
(6) Fab. III. v. 16.
(7) Fab. XV. v. 29.
(8) Fab. XIV. v. 31.
(9) Fab. VII. v. 4.

Atque alia huiusmodi plura. Quamobrem si haec omnia Phaedrum Fabellarum Scriptorem vel in aliorum Fabulatorum concursu evidenter evicissent, quid dicendum est ubi unus tantummodo Phaedrus superest, cui, ut superiori capite vidimus, tribui eae possunt?

V.8. Sed pergamus. Quum Latinae literae foede iam misereque iacerent, et non vetus modo Sermonis elegantia defecisset, sed Grammaticorum etiam Praeceptorumque inscitiâ veteres Scriptores obscuri vulgo involutique viderentur; bene multi inventi sunt, qui perspicientes adhuc nihil esse ad rectam morum informationem satius, nihil ad rectam adolescentium institutionem praestantius, quam Fabellas Aesopias: eas quas Phaedrus conscripserat, quum nativo proprioque colore arduae ac obscurae apparerent, explicare quodammodo ac interpretari instituerunt. Quamobrem quae plana et facilia fuerunt visa ipsis omnino verbis, vel quam simillimis loquendi modis servarunt, quae vero nimis brevia atque adstricta pluribus exposuerunt. Ex quo factum est ut novum quoddam Fabellarum genus, ut ita dicam, surrexerit. Nam si totas sumis rudes sunt ac inficetae, si vero singula diligenter inspexeris statim disiecti membra Poetae agnosces, et ita quidem luculenter, ut etiam ubi illi Interpretes a Phaedro abeant factum id pateat, quod sinceram quorumdam sive verborum sive dictionum Phaedri sententiam probe adsecuti non fuerint. Huiusmodi autem eae Fabellae sunt, quae duobus Romulis tribuuntur, quorum alterum medio fere saeculo XV Rimicius, seu potius Rinucius Tettalus(1) edi-

(1) V. Cardin. Querin. Epistol. ad Georg. Schelhorn. de Rimic.

edidit, alterum XVIII initio Fridericus Nilantius typis vulgavit. Tum illae etiam, quas Anonymo Antiquo idem Nilantius inscripsit, atque aliae quas Marquardus Gudius in Codice Divionensi invenit. Similes Fabellae in Collectione Sebastiani Brantii, atque in Ioachimi Camerarii Sylloge, ut arguere potuimus, occurrunt, et similes etiam in libello, quem Nicolaus Rigaltius adduxit, nisi aliquis forte eorum erit, quos hactenus citavimus. Quin exploratum est ipsum Salonem Parmensem, quamvis tantum a Phaedri stilo atque elegantia distet, ab isto Fabellas suas fuisse mutuatum. Etenim ex sexaginta fere Fabulis quas habet, bene triginta sunt, quae cum Phaedrianis vulgatis respondent, atque ita quidem, ut non sententia modo et subiecta materia sit plane eadem, sed interior etiam quaedam ratio partium, ac minutarum etiam circumstantiarum dispositio conveniat. Quae profecto, quum in fictis iocis pro Auctorum ingeniis facillime soleant immutari, et incredibile sit ea in Scriptorum mentem aetate, indole, ingenio, eruditione diversorum cadere potuisse, perspicue, patet ab uno Fabulatore ex altero Fabellas fuisse desumptas. Accedit etiam ex his Salonis Fabulis non paucas esse, quae in universis Fabellarum Aesopi Collectionibus nuspiam appareant, in libellis vero Phaedri inveniantur, et constat plane, quod etiam singillatim paullo post observabimus, hunc plures Fabellas proprio marte confectas edidisse. Quin aliae quoque sunt, quae quum diversa ratione apud Phaedrum, atque Aesopum expositae occurrant, Phaedrianis quidem non Aesopicis omnino respondent. Tandem Salo ipsum Phaedri promythium (1) aliquando servat (2), quod cer-

(1) Fab. 2. lib. I.

(2) Fab. XXI.

certe a nemine alio conscriptum fuit. Quamobrem quod Critici eruditissimi Rigaltius, (1) Neveletus (2), Gudius (3), Clericus (4), Nilantius (5), Burmannus (6), ceterique omnes qui haec attigerunt, luculenter semper agnoverunt ac declararunt, dubitari scilicet haudquaquam potest, quin adducti Fabulatores ex libellis Phaedri Fabellas suas essent mutuati. Atqui vero in utroque Romulo, Anonymo Antiquo, ac Salone Parmensi bene octo ex Fabellis novis nostris occurrunt, eaeque non argumento tantum sententiaque invicem congruunt, sed tot circumstantiis, verbis, loquendi modis conveniunt, ut plane exploratum videatur, Romulorum, Anonymi Antiqui, ac Salonis Fabulas ex iambicis nostris ea ipsa ratione solutas ac interpretatas fuisse, qua vulgatae Phaedri Fabulae solutae apud illos ac interpretatae inveniuntur. Igitur istae octo Fabellae novae Phaedro prorsus sunt inscribendae, auctorique suo veluti postliminii iure sunt vindicandae. At quis reliquas ei abiudicaverit? Equidem arbitror in Rimicii, Brantii, Camerarii, Hieronymi Osii, Tyrwithii, aliorumque collectionibus, quas comparare mihi non valui, plures insuper ex Fabellis novis, sin minus omnes, eodem fere pacto solutas, ac conversas fortasse inveniri; Sed etiam si nullae amplius huiusmodi reperiantur, potiore iure, si ita loqui fas est, quae supersunt Phaedro sunt inscribendae. Plerumque enim gravitate rerum,

(1) Praef. in Phaedr. suum.
(2) Ad Fab. 2. libr. I. Phaedr.
(3) Comm in Phaedr.
(4) Biblioth. Chois. Tom. IV. Articl. 7. p. 255. et Tom. XXIII. Part. 2. p. 443.
(5) Praef. ad Anonym. et Romul.
(6) Praef. in Phaedr. edit. 1718. et 1727.

rum, venustate, sollertia illis octo (1) ceterae praestant, et luculentius quoque Phaedri stilum exprimunt ac praeseferunt.

VI. 9. Tandem, ratione recte instituta, ipsâ solemnis Codicis nostri Epigraphê, ipsiusque Perotti fide ac testimonio uni Phaedro dubio procul Fabellae novae adiudicantur. Etenim Fabellae omnes, quas in Epitome sua collegit Perottus, quemadmodum non semel diximus, Aesopo, Aviano, ac Phaedro solemni Titulo sunt inscriptae, et Carmine iambico ad Pyrrhum ipsi Fabellarum versiculi istis Scriptoribus tribuuntur. Haec sane Perottus:

Non sunt hi mei, quos putas, versiculi,
Sed Aesopi sunt, Avieni et Phaedri;
Quos collegi ut essent, Pyrrhe, utiles tibi,
Tuaque caussa legeret Posteritas,
Quas edidissent viri docti Fabulas.

Quamobrem, perspecta iam plane atque explorata Perotti fide, ceterisque ad rem pertinentibus priore Capite a nobis observatis dubitari omnino non potest, quin universae Epitomes Fabulae ad Aesopum, Avianum ac Phaedrum unice spectent. Et quum Aesopus nullas ex eis conscribere ac edere potuisset, palam est Avianum tantummodo ac Phaedrum Fabellarum omnium esse Scriptores. At omnes Aviani Fabulae sunt agnitae, planeque demonstratum Novas ad eum non pertinere, reliquum ergo est, ut unum Phaedrum reliquarum et Novarum propterea omnium Scriptorem fateamur. At quid, nonnulli fortasse inquient, Aesopus a Perotto viro satis docto adduceretur, et veluti princeps auctor Fabellis inscriberetur, si Phaedrus et Avianus tantummodo omnium Fabellarum Epitomes essent Au-

(1) Nempe I. X. XI. XIV. XVIII. XXV. XXVII. XXVIII.

Auctores? Quin, ego inquam; merito et iure potius Aesopum adduxit inscripsitque Perottus. Aesopus enim Apologorum et Fabellarum inventor, parens, et princeps auctor semper est habitus, ita ut abs se nomen eis fieret (1), Fabellarum Homerus, Thucidides, Plato (2), Fabellarum Philosophus (3) ipse appellaretur, et Fabellae etiam, quae certum Auctorem haberent ob nominis celebritatem ei adscriberentur. Phaedrus porro atque Avianus perspicue fassi sunt, se ipsas Fabellas Aesopi latinis versibus exornandas suscepisse. Haec Avianus ad Theodosium (4): *Huius ergo materiae* (Fabularum) *ducem nobis Aesopum noveris ... De his* (Fabulis) *usque ad quadraginta et duas in unum redactas Fabulas dedi, quas rudi latinitate compositas Elegis sum explicare conatus*. Phaedrus vero luculentius et saepius. Initio I. libelli (5):

Aesopus Auctor quam materiam reperit,
Hanc ego polivi versibus senariis.

In Prologo autem libri secundi, qui incipit:

Exemplis continetur Aesopi genus:

totus hac de re est. In Prologo tertii (6):

Librum exarabo tertium Aesopi stilo.

Et tandem in libro IV. (7):

Et in cothurnis prodit Aesopus novis.

K Quam-

(1) Philostrat. Icon. I. cap. 3. Aphthon. Progymnasm. init. Theon. Sophist. Progymn. de Fabul. Quintilian. Inst. Orat. libr. V. c. 11. A. Gell. Noct. Actic. Libr. II. c. 29. Priscian. in Art. Praeexercit. et ipse Phaedr. Prolog. Libr. V. v. 11.
(2) Iulian. Imperat. Oration. VII.
(3) Plin. Libr. XXXVI. c. 12.
(4) Praef. in Fabell. suas.
(5) Prol. v. 1.
(6) V. 29.
(7) Fab. VI. v. 5.

Quamobrem Fabellae, quae modo Aviano tantummodo ac Phaedro tribuuntur revera *Aesopi sunt, Aviani, et Phaedri*; ideoque iure plane et sapienter Perottus Fabellas quas descripserat non duobus modo illis, qui latinis versibus solummodo expresserant, attribuit, sed Aesopo etiam, qui inventor auctorque earum dicebatur inscripsit: Nec vereri poterat aliquam inde ambiguitatem fuisse orituram, si Aesopus fuit Phryx, si nullas Fabellas, ut viri doctissimi tenent, conscripsit, et si scripsit Graece scripsit, eaque aetate floruit, qua Latinae literae nondum fortasse extabant. Quum igitur eo potissimum argumento Auctoribus certis libros ac scripta vetera tribuamus, quod eorum nomina tituli ac inscriptiones exhibuerint, et doctorum Virorum testimonia praedicârint: et Phaedrum Fabellarum novarum Auctorem solemnis Codicis nostri Epigraphe praeseferat, et vir clarissimus Perottus agnoscat, tenendum tandem est eum revera Fabellarum novarum esse Scriptorem.

VII. Neque sane obstat, quin Fabellas novas ut Phaedrianas habeamus, quod Flavius Avianus (1) scribat *in quinque libros*, quotquot scilicet modo extant, Phaedrum Aesopi Fabellas *resolvisse*, ideoque videri nullum eis locum quo recipiantur superesse. Constat enim primum Phaedrum non unâ omnes simul, sed sensim ac seorsim libellos suos edidisse, quod nos loco opportuniore singillatim observabimus (2): ideoque recte fieri potuit, ut quinque tantummodo ex eis Aviano innotescerent, et ipsi isti quinque in Pithoeano et Remensi Codice describerentur, qui unius omnino originis, ut iam

(1) Praef. cit.
(2) In Differt. de vit. Phaedr. Cap. II.

iam diximus (1), videntur fuisse: Certe quidem universae simul Comoediae Plauti, vel Ciceronis Orationes in singulis Codicibus MSS. haudquaquam scriptae inveniuntur. Tum vero multa et gravia adsunt, quae non probabili modo coniecturâ, sed certissima plane ratione evincant libellos Phaedri truncos ad nos ac mutilos pervenisse. Et re quidem vera quum primus liber plusquam triginta Fabulas, quartus quinque supra viginti complectatur, haud facile creditur secundum octo fere, quintum vix decem omnino Fabulis constitisse. Quid porro ad octo breves Fabulas multae gravitatis Prologus, et magni etiam ponderis Epilogus? Quid insuper ad decem Fabellas in quinto libro conscribendas tanto hiatu intermissum scripturae genus se resumsisse Auctor praedicaret, inque plurimarum rerum expectationem Particulonem, ac Lectorem duplici Prologo adduceret? Praeterea animadvertendum est sedulo Phaedrum Fabellas Aesopi, seu materiam, ut vocat (2), quam is invenerat, vel quae ei vulgo tribuebatur, in latinis senariis, quemadmodum ex ipsis Phaedri verbis observavimus, polivisse: Tum velut id parum esset, plures ex ingenio suo addidisse, Aesopiarumque Fabellarum opus proprio marte produxisse: Haec sane ipsemet Phaedrus: Primum (3):

Ego porro illius (Aesopi) *semitam feci viam,*
Et cogitavi plura quam reliquerat.

Praeterea (4):

Quum destinassem terminum operi statuere,
In hoc, ut aliis esset materiae satis,
Consilium tacito corde damnavi meum:

K 2 Nam

(1) Dissert. I. §. XII.
(2) Prol. libr. I. v. 1.
(3) Prolog. Libr. III. v. 38.
(4) Prolog. I. Libr. V. v. 1.

Nam si quis etiam talis est tituli appetens;
Quo pacto divinabit quidnam omiserim,
Ut illud ipsum cupiat famae tradere?

Fabulas nempe, quas ipse excogitabat. Insuper (1):

Quare, Particulo, quoniam caperis Fabulis,
Quas Aesopeas, non Aesopi nomino,
Quasi paucas ostenderit, ego plures dissero;
Usus vetusto genere, sed rebus novis.

Et tandem (2):

Aesopi nomen sicubi interposuero,
Cui reddidi iampridem quidquid debui,
Auctoritatis esse scito gratiâ.

Quamobrem tenendum videtur Phaedrum tum Aesopi Fabulas, quotquot eius nomine ferebantur, vel magnam saltem earum partem, tum quas ipse suo marte confecerat in libellos suos coniecisse. At quis facile sibi persuaserit hasce omnes, eas unas esse, quae modo in vulgatis Phaedri libellis leguntur, universasque Aesopi ac Phaedri Fabulas vix ad nonaginta, quot numerantur, abiisse? Equidem non affirmaverim plusquam quadringentas, vel etiam quingentas Graecas Fabulas, quot adhuc etiam Aesopo tribuuntur (3), Phaedrum novisse, et latine reddidisse, nec eas omnes, quas bene decem libris iambico etiam carmine Babrius expressit (4): Sed incredibile pariter est vel tam paucas, quot vulgatae sunt ex Aesopo Phaedrum fuisse mutuatum, vel eas unas dictas tum ac habitas Aesopi Fabulas. Etenim et ex his quae adduximus, et ex aliis quae facile in ipsis libellis occurrunt perspicue patet

(1) Prolog. cit. v. 10.
(2) Prolog. II. v. 1.
(3) Vid. Collect. Basileens. ann. 1781. Camerar. de Furia; Thom. Crenium Animad. Philol. et hist. P. V. c. 1. §. 5.
(4) V. Suidam in Βαβριος.

ret vel totam vel fere totam relictam ab Aesopo materiam Phaedrum exhausisse, et plane constat satis amplam et copiosam fuisse aetate Phaedri Fabellarum Aesopi syllogen. Nam vel Aristophanis aevo in iustum libellum excreverat, quo vulgo pueri in Scholis erudirentur (1); tum pluribus aliis Fabulis a Demetrio Phalereo collectis longe amplior ac copiosior est facta (2). Idem etiam de propriis Phaedri Fabulis est dicendum, Fabellas scilicet quae vulgatae sunt haud omnes esse quot ille conscripsit, quum istae editae expectationi per Auctorem factae nequaquam prorsus respondeant (3).

VIII. Quin luculentius patebit Fabellarum Phaedri libellos, quos adhuc habemus, deficientes ac mutilos esse, si animadvertamus inter Fabellas Phaedri, quas mediis seculis plures, ut superius abunde diximus, solverunt, atque interpretati sunt, multas apparere, quae in vulgatis quidem nuspiam inveniantur, invicem vero mixtae ac confusae cum eis sint, et idem ingenium, eumdem stilum, ipsam rationem, ipsum denique Auctorem omnino praeseferant, ideoque palam sit ex uberioribus et amplioribus Phaedri Codicibus eas sumtas ac descriptas fuisse. Quod profecto ita exploratum fuit Gudio, Burmanno, Nilantio, ut is eas omnes, quas reperit palam Phaedro inscripserit (4), et illi potissimum, quod et alibi diximus, iambico carmine novas coercentes Phaedro Auctori restituere conati fuerit (5). Sed quid amplius quaerimus, si ipsi Co-

(1) V. Aves. v. 470.
(2) V. Diogen. Laert. in vit.
(3) V. Anonym. Gall. Magasin. de Millin Tom. XXXII. p. 456.
(4) Phaedr. Fabul. Auctor. Lugd. Batav. 1709.
(5) V. Adpend. Fab. Aesop. ad Phaedr. Edit. Burm. 1718. etc.

Codices, quos habuimus, editique inde libri manifestissima et mutilationum, et lacunarum argumenta suppeditant? Et re quidem vera in Prologo libri primi (1) haec scripsit Phaedrus:

Calumniari si quis autem voluerit,
Quod arbores loquantur, non tantum ferae;
Fictis iocari nos meminerit Fabulis.

At ubinam vel una Fabula in vulgatis apparuit, qua arbores vel invicem, vel cum aliis sive personis sive rebus loquantur? Et quum Phaedrus ita singillatim hac de re meminisset, et veniam propterea a lectoribus petiisset, opus est, ut quemdam earum Fabellarum numerum non unam tantum vel alteram conscripsisset. Quamobrem iure ex hoc loco Heinsius, Schefferus, Praschius (2), Clericus (3), aliique collegerunt plures sane Phaedri Fabellas in libris, quos habemus hactenus desiderari. Praeterea ad Fabellam XII. lib. IV. lacuna extat, alia ad Prologum lib. V. deprehenditur, et quamvis vulgo non notetur, aeque tamen certa videtur. Auctor enim quum dixisset:

. . . . . . Plus vetustis nam favet
Invidia mordax, quam bonis praesentibus.

Subdit:

Sed iam ad Fabellam talis exempli feror.

At Fabella huiusmodi neque statim subsequitur, neque uspiam alias apparet. Et qui secus Phaedri verba interpretantur rem acu tangere non videntur. Sed alius praeterea hiatus post Fabellam primam eiusdem libri conspicitur, et quum constet Pithoeanum Codicem truncum in fine ac mutilum ex-

(1) V. 5.
(2) In notis.
(3) Biblioth. Ch. Tom. IV. p. 256.

extitisse (1) aeque certum est non pauca saltem ex quinto libro excidisse. Nos quidem quantae istae lacunae atque hiatus fuerint decernere certo non possumus, sed eas satis amplas fuisse tum ex numero superstitum Fabellarum, prout in singulis libris invenitur coniici recte potest, tum quod certum est passim in Pithoeano Codice nonnullas ex paginis quibus constabat detractas fuisse, et abruptas (2). Quae si tantum sex vel septem fuere, duodecim nempe vel quatuordecim pagellae, omnes forte Fabellae nostrae novae in Pithoeano Codice contineri potuerunt: Quamobrem si hactenus observatis aliquid ponderis ac momenti inest, dubitari profecto non potest, quin Phaedri libellos sive iniuria temporum, sive Grammaticorum ac Praeceptorum audaciâ, sive aliis etiam de caussis haudquaquam integros et absolutos ad nos pervenisse: quin imo ubi res acrius perpenditur, libellosque Phaedri seorsim ac distincte vulgatos meminimus, quod ex Phaedro superest amplioris potius operis Epitome, et selectarum Fabellarum sylloge, quod facillime operis ratio patiebatur, quam instituti ac dispositi a Fabulatore libri videntur. Fabellae igitur novae non commode modo in vulgatis Phaedri libris possunt recipi, verum etiam in complementum requiruntur ac postulantur, quumque ex Fab. 14. lib. IV. pateat et superius de Prometheo Auctorem egisse, optimo iure dici potest: eam ipsam Fabellam de Prometheo praecessisse, quae in Novis nostris legitur (3). Ideoque proposito nostro minime obest, quod quinque tantummodo libellorum Phaedri Avianus meminisset. IX. Prae-

(1) V. Magasin loc. cit. p. 450.
(2) Magasin loc. cit.
(3) Num. IV.

IX. Praeterea multo etiam minus urgeri potest, quin Phaedrus Fabellarum novarum Auctor habeatur, quod in his singulares aliqui loquendi modi, et nonnulla verba occurrant, quae in Scriptoribus, qui supersunt, haud apparere videantur. Primum enim, quum ista verba, istaeque dicendi formulae, ut singillatim in Lectionibus nostris ostendimus, nullo pacto a Latinae linguae ingenio, analogia, omnibusque receptis regulis recedant, quo iure vel auctoritate de eorum usu, genuinitate, et naturâ iudicabimus? Universumne Latinum sermonem callemus, vel potius verum est, ne illius quidem partis, quae ex casu et ruinâ superfuit, absolutam notitiam nos adsequi? Innumera sane sunt quae interciderunt, unde merito interdum fit, ut quae temeritate ridicula in Scriptoribus, quos legimus, censoriâ virgulâ ut nova, et ignota Veteribus expungimus ac reiicimus illico a doctioribus recepta, et probata ostendantur. Et propterea numquam satis laudandus est hisce in rebus modus praestantissimorum Virorum Isaaci Casauboni, Ioan. Friderici Gronovii, Iani Brouckhusii, Petri Burmanni, qui tam praeclare de Latinis literis meruerunt. Et oh! quot nova revera et hactenus plane inaudita apparerent, si omnia Varronis opera, Ennii, Lucilii, Catonis, Caesaris, Tragicorum, Comicorum, aliorumque omnium Scriptorum libros, qui perierunt, legere modo atque inspicere liceret. Sed ea tum et vetera et vulgaria et communia erant. Omnis ergo ratio postulat, ut quae in Fabellis novis leguntur, quae in aliis apparere non videantur, vetera ac recepta habeamus. Ex quo sane fit aliud insuper argumentum nobis pro Fabellarum vetustate fuisse potius suppeditatum. 10. Etenim quum illa verba, illaeque di-

dicendi formulae neque a recentioribus fuissent usquam usurpatae, nec ab eis, ut quisque videt, inveniri proprio marte potuissent, dicendum est ad veterem Scriptorem ea pertinuisse. Sed ponamus etiam nonnulla in Fabellis novis occurrere, quae Veteres numquam usurpassent, itane propterea Scriptor ad sequiora secula est detrudendus? Nonne quisque fere Auctor singularia sua, et propria habet? Statilius Maximus, Charisio auctore (1), vel florentibus Latinis literis singularia Ciceronis collegit, quumque opus temporum iniuriâ intercidisset idem praestiterunt Georg. Ludov. Frobenius (2), et Ioan. Nicolaus Funccius (3): Isaacus Casaubonus singularia Svetonii est persequutus (4), et aliorum alii. Praeterea si linguae maxime Scriptorum solertiâ ditantur, et uberiores evadunt, quidni Auctor noster addere sermoni patrio nonnulla potuit? Ad rem plane Horatius (5):

. . . . Quid autem
Caecilio Plautoque dabit Romanus ademtum
Virgilio Varioque? Ego cur acquirere pauca,
Si possim invideor, quum lingua Catonis et Enni
Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum
Nomina protulerit? Licuit semperque licebit
Signatum praesente nota producere verbum.

Quae igitur in Fabellis nostris, sunt insolentia; si ita loqui licet, quum abhorrentia nequaquam sint, nec recentem originem praeseferant, nedum obsunt quominus illae Phaedro inscribantur, quin potius iuvant ac favent.

L X. Quod

(1) Libr. II. Grammat.
(2) In Indic. voc. rarissimar. ex Ciceron.
(3) De virili aetate Latin. linguae Cap. II. §. 27.
(4) Ad Sveton. ipsum.
(5) Art. Poet. v. 53.

X. Quod, si secus ac ego arbitror, nonnulla novis in Fabellis occurrant, quae minus elegantia, expolita, ac Phaedro digna videantur sedulo etiam est animadvertendum satis corruptas ac vitiatas Fabulas istas ad nos pervenisse. Et propterea, ut ea quae egregia, et probatissima sunt reliqua omnia eiusdem fuisse notae ac naturae admonent, eodem contra pacto, quae minus recta offenduntur, ne, quae in Corruptores potius, ac Interpolatores cadunt, in Auctorem temere reiiciamus indicant. Quod profecto ideo exploratius habendum est, quia mali labes non per Amanuenses, aliosve qui simpliciter Fabellas exscripserint, sed per Grammaticos et Praeceptores inducta omnino videatur. Errores enim qui in Fabellis offenduntur haud ii sunt qui ex geminatione, detractione, inversione literarum oriuntur, sed qui fiunt quod verba transposita fuerint, immutata, corrupta, atque ad nescio quam syntaxim et sententiam adducta. Neque id mirum, si mediis, ut vocantur, seculis imperitissimi Grammatici extiterunt, Phaedrique Fabulae puerulis destinatae per minutos Magistellos tractari debuerunt. Et si Interpretes de quibus non semel superius diximus, saepe saepius sententiam Phaedri adsequi non valuerunt, eamque foede corruperunt, qui ipsos Codices excutiebant quare maiori sollertia, doctrinaque usi fuissent? Quod autem Phaedri Fabulae adolescentibus tum ac discipulis praelectae fuerint isti ipsi Interpretes dubitare non patiuntur. Etenim haud videtur tot Grammaticos id negotii in nullo alio Scriptore, quod constet, si unum Avianum et eum quidem Fabulatorem susceptum, adgredi potuisse, nisi puerulos potissimum in Latino sermone veluti Glossa ac Commentario levare instituissent. Certe quidem Romulus in disciplinam Ti-

Tiberini filii opus suum suscepisse ipsemet scribit, tum quamvis sit falsum, ad nostrum tamen propositum est aliquid, quod scilicet referat Aesopum Fabellas conscripsisse, ut discipulos suos erudiret. Quin probabile est Fabellas Phaedri haud longe ab eius obitu adolescentulis praelectas fuisse. Id enim innuere in suis Oratoriis Institutionibus Quintilianus his verbis videtur: *Adiiciamus tamen*, ait[1], *eorum* Grammaticorum *curae quaedam dicendi primordia, quibus aetates nondum Rhetorem capientes instituant. Igitur Aesopi Fabellas, quae Fabulis nutricularum proxime succedunt, narrare sermone puro, et nihil se supra modum extollente, deinde eamdem gracilitatem stilo exigere condiscant. Versus primo solvere, mox mutatis verbis interpretari, tum paraphrasi audacius vertere, qua et breviare quaedam et exornare, salvo modo Poetae sensu, permittitur. Quod opus etiam consummatis Professoribus difficile, qui commode tractaverit cuicumque discendo sufficiet*. Ex his autem patet generatim hîc de Fabulatore Poeta agi, deque stili exercitiis, eo sermone quo Fabellae sunt scriptae, minime vero de versione tractari. Quamobrem etsi Graecum Fabulatorem, Graecumque sermonem non excluderem, de Latinis etiam Fabii praecepta intelligenda esse arbitrarer. Nihil enim obstare videtur, nec Fabius tam generice esset locutus, nisi quod communia utrique linguae traderet, vel quod de rebus patriis et notissimis loqueretur. Certe quidem paullo superius quum generatim de Comicis ageret, et ipse ea de Menandro potissimum sumi vellet, id singillatim et perspicue aperuit. Romani praeterea quoad stilum quidem et scribendi rationem longe acriori studio et diuturniore labore in Latinis, quam in Graecis, quae pauci ex eis scripserunt, incumbebant. Ideoque

L 2 quum

quum Quintilianus de stili exercitiis et iis difficillimis loquatur, valde probabile est ad Latinum potissimum Fabulatorem intendisse. Quod si verum est, quis iste erit Fabulator nisi Phaedrus?

XI. Igitur quum satis commode, ut arbitror, iam viderimus ex universis Latinis Fabulatoribus uni Phaedro Fabellas novas attribui posse: Tum huic revera eas adiudicari operis titulo, clarissimi Viri testimonio, veteribus Fragmentis, et universi stili germanitate; aequum profecto est, ut Fabellas novas Phaedro inscribamus, earumque tam illustrem Fabulatorem Auctorem praedicemus. Restat sane aliquid adhuc, quod cavillandi caussam nonnullis praebere posset; at id sequenti Dissertatione ita expendemus, ut inde potius aliud et luculentissimum argumentum ad propositum nostrum magis magisque firmandum eruamus.

DIS-

DISSERTATIO III.

QUA

PETRONII ARBITRI aetas constituitur, ut alio et gravissimo inde argumento ostendatur PHAEDRUM revera esse Auctorem Fabellarum novarum.

Elegans et scita Fabella, quam Fabularum novarum Auctor de vidua Muliere, et iuvene Milite habet (1), illa ipsa historiola est, quam Petronius Arbiter de Ephesia Matrona aeque scite narrat et eleganter (2). Altera autem narratio eo pacto alteri narrationi respondet, ut nec per omnia conveniant, nec in potioribus circumstantiis discrepent; luculenterque ostendant non alterum Scriptorem alterum exscripsisse, sed quemque eorum testes singillatim suos habuisse. Nonnulli quidem dubitare visi sunt an revera ista historiola gesta fuerit (3); sed plane iniuriâ. Petronius enim tam luculenter, tam adfirmate, tam aperte se historiam exponere ostendit, ut quod gravius testimonium ad historicam fidem constituendam postulari possit non videam: Nec omnino Fabularum et Commentorum audacia, apud quoscumque Scriptores, qui sibi constare velint, et ab humani sensus communione non recedere: eo usque potest progredi, ut omnes veritatis characteres et insignia assumat et induat. Eumolpus autem senex Poeta et doctus apud Petro-

(1) Num. XV.
(2) Satur. Cap. 111. etc.
(3) V. M. Dacier Mem. Acad. Inscript. Tom. XLI. p. 523. Parisiis 1780.

tronium, qui etiam in Asiâ et Pergami, quod haud longo intervallo ab Epheso distat, eum moratum fuisse scribit (1), circumstantibus amicis pollicetur: se non modo Fabulas, fabulosasque res haudquaquam narraturum, nec quae iam Tragici occupassent, etsi ex parte vera, nec quae in veteribus historiis passim legerentur, sed rem plane recentem et factam memoria et aetate sua: *Nec se*, scilicet, *tragoedias veteres curare, aut nomina seculis nota, sed rem sua memoria factam expositurum se esse*. Simili fere pacto ac Phaedrus, qui historiolam pariter narraturus (2), quum scripsisset:

Periculosum est credere, et non credere,
Utriusque exemplum breviter ponam rei:
Hippolitus obiit, quia Novercae creditum est,
Cassandrae quia non creditum ruit Ilium.

Paullo post subdidit:

Sed fabulosam ne vetustatem asseras
Narrabo tibi memoriâ quod factum est meâ.

Praeterea Ioannes Sarisberiensis, qui historiolam de Ephesia Matrona ex Petronio in Policraticum suum (3) transtulit, scribit id non a Petronio tantum, sed a Flaviano etiam gravi et probato, ex sua sententia, Auctore *ex facto accidisse* tradi, et ab isto subdi: *mulierem impietatis suae, et sceleris parricidialis, et adulterii poenas luisse*. Petronius quidem tantummodo scripsit (4): *At non Lycas risit, sed iratum commovens caput: si iustus, inquit, Imperator fuisset, debuit Patrisfamiliae corpus in monumentum referre, mulierem defigere cruci*. Sed ex his testimoniis duo colliguntur. Primum Flavianum alios a Pe-

(1) Cap. 85.
(2) Libr. III. Fab. 10.
(3) Libr. VIII. Cap. XI.
(4) Cap. 113.

a Petronio Auctores secutum fuisse, ideoque Ephesiam historiolam et in Flaviano idoneum testem habere. Secundo alterum ab altero firmari. Nam non scribit Petronius nullam poenam de Femina fuisse sumtam; sed quidem sumi debuisse, quod satis perspicue indicat revera sumtam fuisse: id enim Petronius aperte sane et palam scribere non potuit, quum adversaretur proposito suo, vel ad illud non faceret. Tandem quid dicemus si Fabulator noster non modo totius Fabellae tenore se historiam plane narrare ostendit, sed statim ab initio professus est id paucis tantummodo annis antequam literis consignaret vere gestam fuisse? Ita quidem scribit:

Per aliquot annos quaedam dilectum virum
Amisit, et sarcophago corpus condidit.

Plane certum igitur et exploratum habendum est, revera gestam fuisse historiolàm Ephesiam, quam Petronius Arbiter et Fabulator noster narrant. Quapropter, quum Petronius mores, vitia, res aetatis suae describat, et Eumolpum dicentem inducat factum id fuisse *memoriâ suâ*: tum Fabulator noster, ut modo audivimus, tradat gestam rem per aliquot tantum annos antequam versibus memoriae proderet: evidens est Petronium Arbitrum et Fabulatorem nostrum vel coaevos aequalesque fuisse, vel aetate saltem sibi omnino proximos: et propterea ubi Petronii aetas nota erit et constituta, Fabulatoris quoque aetas patebit, et ex aetate ipse fortasse etiam Fabulator. Sed quanam aetate, quonam seculo vixit, floruitque Petronius? Si res solà auctoritate esset decernenda jam nunc omnia essent detecta, et constituta. Nam Petronium Arbitrum Claudii, et Neronis aevo floruisse incredibilis doctissimorum Virorum numerus adseruit et tenuit,

at-

atque inter eos Petrus Pithoeus (1), Petrus Daniel (2), Claudius Binetus (3), Ianus Dousa (4), Durantius Casellius (5), Petrus Lotichius (6), Gaspar Barthius (7), Andreas Borrichius (8), Melchior Goldastus (9), Thomas Reinesius (10), Octavius Ferrarius (11), Antonius Gonsalius (12), Franciscus Vavassorus (13), Thomas Pope Blountius (14), Isaacus Casaubonus (15), Ger. Ioan. Vossius (16), S. Evremontius (17), I. Alb. Fabricius (18), Daniel Huetius (19), Petrus Burmannus Maior (20), Io: Fridericus Christius (21), Christophorus Saxius (22), Nicolaus Funccius (23), I. Aug. Ernestus (24), Franciscus Blanchinius (25), aliique etiam plures recensentur. Ideoque, si Petronius hac reipsa aetate floruit dubitari nullo pacto potest, quin Phae-

(1) In Coniectan.
(2) Praef. in Petron. suum.
(3) Praef in Petr. suum.
(4) In Praecid. ad Petron. Libr. II. c. 12. etc.
(5) Variar. Lection. Libr. I. c. 5.
(6) In vit. praefix. Petron. suo.
(7) In Claudian. p. 28.
(8) De aetat. lat. Linguae.
(9) Prolegom. in Petron.
(10) Epistol. ad Lector.
(11) Elector. Libr. I. c. 8.
(12) Praelud. in Petron. I. et II.
(13) De ludicr. diction. Sect. II. §. 8.
(14) In Censur. celebr. Auctor. ad ann. Christ. 64.
(15) De Satyr. libr. II. c. 2.
(16) De Poet. Lat. c. III.
(17) Oeuvr. mel. Tom. II. §. 4.
(18) Biblioth. Lat. libr. II. c. 11.
(19) Epistol. ad Graev. in Collect. Tilladet. Tom. II. p. 264.
(20) Praefat. in Petron. suum.
(21) Excurs. X. in Villatic.
(22) In Onomast. Literar. ad ann. Christ. 48. ad 54.
(23) De immin. Senectut. lat. linguae Cap. III. §. 54.
(24) Ad Bibl. lat. Fabric. loc. cit. not. (a).
(25) Istor. universale. Dec. I. Imag. 2. Cap. 2. p. 85.

Phaedrus, quem scripturae genus, ingenium, stilus per se iam luculenter indicabant, eius Fabellae, et ceterarum propterea omnium verus et genuinus sit auctor. Ipse enim eadem Claudii atque Neronis tempora vel adtigit, quod nonnulli sunt arbitrati (1), vel quod est exploratissimum proxime omnino praecessit (2): Nec alium tunc in Fabellis conscribendis aut imitatorem, aut aemulum habuit (3). Verum ut id tuto adseramus, et teneamus, horum doctorum Virorum auctoritas, quamvis ingentis plane sit ponderis, una tamen ac sola haud satis firmo praesidio esse potest. Ii enim, quia forte res aperta plane et certa sibi videretur vel graviora momenta, et argumenta potiora colligere et proferre neglexerunt, vel leviora tantummodo huc illuc abiecerunt, vel quaedam tandem potius adtigerunt parum apta et opportuna; quae obfuerunt potius sententiae suae, quam profuerunt. Quin contra et alii aeque docti atque eruditi Viri extiterunt, veluti Laevinus Torrentius (4), Ioannes Sambucus (5), Marinus Statilius seu Petrus Petitus (6), Adrianus atque Henricus fratres Valesii (7), Ioannes Clericus (8), Hieronymus Tirabo-

M schius

(1) V. Henric. Cannegiet. de aet. et ftil. Flav. Avian. Cap. 10. Iof. Desbillon. Difput. I. de vit. Phaed. Phaedro fue praefixâ.

(2) V. Differt. noftram de Phaedr. vita Epitom. Phaedr. Fabell. praefix.

(3) V. Epilog. libr. II. Fab. XIII. libr. III. Fab. XX. libr. IV. Prolog. libr. V. etc. et hanc Differt. fub fin.

(4) In Horat. II. Ode 12.

(5) In vit. Petron. ad Ioan. Lifthium.

(6) Apolog. ad Patres Confcript. Reip. literar. pro Petron. Fragm. Tragur.

(7) Differt. de Petron. etc. ad Chriftoph. Wagenfeil.

(8) Biblioth. Chois. Tom. XIX. art. IX. p. 350. Tom. XXII. art. II. p. 49.

schius (1), Nicolaus Ignarra (2), Interpres primi voluminis Herculanensis (3), Caietanus de Ancora (4), Petrus Signorellius (5), N. M. Duguerlius (6), atque alii nonnulli, qui Scriptorem Saturae ad tempora longe sequiora deturbarunt, et ad aetatem Diocletiani et Constantii Chlori, aut Antoninorum postremorum ablegarunt. Quumque ex iis non pauci omnium postremi in arenam descendissent victoriam plane triumphumque cecinerunt. Petronius quidem Claudii et Neronis aetate reapse floruit, idque non plurima modo argumenta perspicue et luculenter evincunt, sed ea etiam, quae isti docti Viri urgent, singulari quadam conversione magis magisque confirmant. Sed id est ostendendum, et operosius demonstrandum. Quamobrem ut iis, qui Petronium ad tempora multo Phaedrianis inferiora reiiciunt, de Fabellarum novarum Scriptore cavillandi occasio praeripiatur, utque aliud etiam ad propositum nostrum argumentum pulcherrimum comparetur, operae pretium esse ducimus, aliquanto uberius de genuinâ Petronii aetate disserere.

CA-

(1) Letterat. Italian. Tom. II. Libr. I. Cap. 2. §. 16. etc.
(2) De Palaestra Neapolitan.
(3) In Praefat. et in Differt. Isagog. pag. 95.
(4) Guida ragionata per le Antich. di Pozzuoli etc. Cap. VI. §. 4.
(5) Coltura delle due Sicilie. Part. I. Cap. 12. p. 290.
(6) Dans le Magasin Encyclop. de M. Millin Tom. XXII. p. 194.

CAPUT I.

Petronii aetas Claudii et Neronis aevo pluribus argumentis constituitur.

I. Petronium Arbitrum ante Tiberii principatum Saturam suam non conscripsisse explorata plane res est. Aliquando enim de Seviris Augustalibus cuiusdam Coloniae meminit (1), qui ad Sodalium Augustalium Romanorum exemplum sunt instituti, ut iam luculenter ostenderunt Thomas Reinesius (2), Val. Chimentellius (3), Henricus Norisius (4), Iustus Fontaninus (5), aliique plures. Hos autem Sodales, defuncto iam et consecrato Augusto, ad constituendam erga eum servandamque Religionem Tiberius creavit. *Idem annus*, Tacitus ait (6), *novas ceremonias accepit, addito Sodalium Augustalium sacerdotio, ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris, sodales Titios instituerat.* Tum de supplicatione pro adversâ Iuliae Augustae valetudine susceptâ loquens subdit (7): *Ideo Augustales adiectos quia proprium eius domus Sacerdotium esset, pro qua vota persolverentur.* Tandem: *Faces*, ait (8), in Neronis parentalibus *Augustales subdidere, quod Sacerdotium, ut Romulus Tatio Regi, ita Caesar Tiberius Iuliae genti sacravit.* Praeterea

 his

(1) Cap. 30.
(2) In Epist. ad Hoffmann. et Rupert. n. XXXI.
(3) De honor. Bisell. c. 40.
(4) In Cenotaph. Pisan. Differt. I. c. 6.
(5) De Antiquir. Hortae. Libr. I. c. 2. §. 5.
(6) Annal. I. c. 54.
(7) Ann. III. c. 64.
(8) Histor. II. c. 95.

historiolam quamdam Petronius narrat (1), quam Plinius (2), Dio (3), Isidorus (4) ipsi Tiberio tribuunt, quaeque nonnisi octavo eius imperii anno, quemadmodum ex eodem Dione colligitur (5), facta fuit. Ex quo invicte Ioannes Harduinus refellitur, qui Petronium, nescio qua fortuna ab illis Impostoribus suis sartum tectumque servatum, Augusto Imperatore floruisse autumabat (6). Verum haud multum infra Tiberii aetatem Saturam adgredi Petronius debuit. Quod quum pluribus momentis ostendere aequum videatur, haud abs re esse puto, si ab eo exordiamur, quod ista ipsa historiola suppeditat. 1. In eâ enim qui Plinio, Dioni, Isidoro Tiberius dicitur, Petronio absolute et simpliciter est *Caesar*, nec videtur quemdam tantummodo Caesarum confuse et indistincte eo nomine indicare Petronium voluisse. Nam ipse historiolae modus de certa notaque Persona agi prodit, nec est credibile Petronium, qui Trimalchionem eam historiolam in celebri coena frequentique conventu narrantem, et plurima vetustissimorum hominum nomina ambitiose percensentem inducit, in re temporibus suis longe certe propiore, ipsum Imperatoris nomen celare et occulere, factum ambiguum et incertum reddere, inque Grammaticae regulas peccare voluisse. Quamobrem dicendum est tum huiusmodi historiolam narratam fuisse a Petronio fingi, quum adhuc Tiberius *Caesaris* nomine appellari absque ambiguitate potuisset, et propterea haud multis

(1) Cap. 51.
(2) Libr. XXXVI. hist. nat. c. 26.
(3) Libr. LVII. p. 617. Edit. Hanov. 1606.
(4) Libr. XVI. Origin. c. 16.
(5) Loc. cit.
(6) Ad Plinium Libr. XIV. c. 4.

tis post eius obitum annis. Nam quis putaverit post triginta, vel viginti etiam alios *Caesares*, Caesaris nomine Tiberium perspicue vulgo indicari? Verum si historiolam aut Claudii aut Neronis aetate narratam ponimus fieri res pulchre potuit. A Tiberio namque ad Claudium quatuor fere tantummodo anni intercesserunt, et ad Neronem paullo amplius quam quindecim. Praeterea reapse Tiberius absolute et per excellentiam *Caesar* appellatus vulgo videtur, eoque fere pacto, quo Octavianus *Augustus* audiit. Nam ut Svetonius scribit (1): *Praenomen quoque Imperatoris, cognomenque Patris Patriae, et Civicam in vestibulo coronam recusavit: Ac ne Augusti quidem nomen, quamquam hereditarium, ullis nisi ad Reges ac Dynastas Epistolis addidit.* Et magis perspicue Dio (2): *Nam neque dominum*, ait, *se ab homine libero, nec Imperatorem nisi a militibus vocari patiebatur: Patris Patriae nomen plane recusabat. Augusti nomen non quidem usurpabat, neque enim id sibi umquam decerni concessit... Omnino autem* Caesaris ... *nomen ipse sibi tribuebat.* Et re quidem vera Scriptores universi, qui de eo meminerunt *Caesarem* potissimum appellant, nec Paterculus, qui in eius laudes est effusissimus (3) alio eum cognomine exornat. Nec ignotum est Caesaream Cappadociae a Tiberio Caesare sic fuisse appellatam (4). Ideoque quum Trimalchio fingatur senex (5), pluresque ex convivis aetatis iam provectae (6), quique propterea vel universum Tiberii

(1) In vit. c. 26.
(2) Libr. LVII. p. 607. Edit. cit.
(3) Libr. II. c. 94. et seqq.
(4) V. Eutrop. Breviar. lib. VII. Hieronym. in Chronic. ad Olymp. 199. Suida in Καισαρεια.
(5) V. Cap. 27. 72. etc. (6) Cap. 57. 64. etc.

rii principatum , vel maiorem eius partem decurrere potuissent, quisque videt vel viginti fere post Tiberii obitum annis hunc *Caesarem* adhuc per excellentiam , utpote potissimo ac usitatissimo sibi cognomine appellari potuisse. Ideoque quum id fieri longe serius nequivisset, ut dicebamus , haud iniuriâ colligere possumus historjolam illam circa Claudii et Neronis tempora scribi omnino debuisse . 2. Neque insuper leve ducendum est, quod in quibusdam Prostypis inter rudera Domus Aureae Neronianae Romae inventis historiolam istam de Ephesia Matrona effictam docti Viri facile agnoverint (1). Nam quid gravius, quid luculentius ostendit saltem ipso Neronis aevo Petroninm floruisse, si Petronii aetate facta fuerat historiola, et Neroniano aevo iam erat sic celebris et vulgata, ut in prostypis sculperetur?

II. 3. Sed Petronium fuisse Phaedro aetate plane proximum Saturae etiam stilus perspicue ostendit. Notum est nihil fere magis potiusque Scriptorum aetates arguere, discernere , et constituere , quam eorum scribendi ratio . Nam quum quaeque aetas peculiaribus moribus et institutis contineatur, propriaque singulis aetatibus sit cogitandi , vivendique modus necesse omnino est, ut singularis quoque sit ratio scribendi. Praeterea ipsa verba et vocabula passim immutantur, convertuntur, intercidunt, atque alia et nova, et veteribus ignota subeunt, et vigent:

Ut silvae foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt, ita verborum vetus interit aetas,
Et iuvenum ritu florent modo nata vigentque ,
. . . . . *Mortalia facta peribunt,*
Nedum sermonum stet honos et gratia vivax (2).

ideo-

(1) V. M. Dacier loc. cit. pag. 523.
(2) Horatius in Art. Poet. v. 62.

Ideoque fieri nequit ut inter duos diversarum aetatum Scriptores nullum stili discrimen, nulla sermonis discrepantia intercedat. Quod quidem adeo verum est, ut nullus Auctor inveniatur, qui aevum suum absolute mentiatur, et merito docti Viri unanimes (1) universos fere Latinos Scriptores unâ tantummodo eorum aetatum, quibus floruerint, ratione spectatâ, in magis minusve nobiles, ignobilesque tribuerint. Nativa autem et incorrupta Latini sermonis elegantia statim quidem ab Augusto deflectere coepit, aliquamdiu tamen adhuc honeste et decore se sustinuit, nec maximo certe intervallo a superioribus Scriptoribus Phaedrus, Mela, Velleius, Columella distant. Verum deinceps patriis moribus plane corruptis, et peregrinis receptis, ingentique externorum hominum colluvie Romam potissimum confluente in deterius quotidie data res est (2): ita quidem ut sub finem primi Aerae Christianae Saeculi Romanus sermo alius quodammodo a nativo et vetere factus videretur. Haec sane Quintilianus (3): *Verborum vero figurae, et mutatae sunt semper, et utcumque voluit consuetudo mutantur. Itaque si antiquum sermonem nostro comparemus paene iam quidquid loquimur figura est: ut* huic rei invidere, *non ut omnes veteres, et Cicero praecipue:* hanc rem, *et* incumbere illi, *non* in illum; *et* plenum vino, *non* vini, et huic *non* hunc adulari *iam dicitur, et mille alia, utinamque non peiora vincant.* Tum: *Dicendi mutavimus genus, et ul-*

(1) V. Gasp. Sciopp. in Consultat. Gasp. Barth. Adv. libr. L. c. 9. Olaus Borrich. in cogitat. de aet. Lat. Linguae. Melch. Inchofer. de Hist. L. L. Christoph. Cellar. de Fatis L. L. Georg. Morhof. in Polyhistor. I. G. Walch. Histor. Crit. L. L. etc. etc.

(2) V. Dialog. de Corrupt. eloqu.

(3) Instit. Orat. Libr. IX. c. 3.

ultra nobis, quam oportebat indulsimus. Et: *Quid multa? Totus prope mutatus est sermo*. Atqui Petronii stilus sin minus optimus et castigatissimus, rectus tamen et mundus est, nativosque illos lepores, elegantem illam venustatem, propriamque eloquii felicitatem praesefert, quae eâ tantummodo adhuc vigebat aetate, quae Augusteam, auream-que proxime exceperat. Plurimus profecto essem, si cuncta recensere hic adgrederer Petroniani stili elogia, quae Viri literarum Latinarum callentissimi I. Baptista Pius (1), Caspar Sciopplus (2), Caspar Barthius (3), Cunradus Rittershusius (4), Adrianus Turnebus (5), Ianus Guillelmius (6), Durantius Casellius (7), Antonius Gonsalius (8), Thomas Dempsterus (9), Erycius Puteanus (10), aliique huiusmodi plures passim praedicarunt. Iustus Lipsius, quantus profecto vir, ad Petrum Pithoeum sibi in Latinis vix secundum de Petronio scribens (11): *Et tua fide*, ait, *P. Pithoee, vidistine quidquam venustius, argutius post natas musas?* Ianus Dousa: *Si mei arbitrii*, scribit, (12) *res foret, unam mehercule a Petronio Eumolpicam Troiae halosin, aut ipsam potius vere poeticam Belli Civilis vaticinationem multo mavelim mihi*: Quam

(1) Comment. in Fulgent. Mytholog. et Adnotat. posterior, c. 48.
(2) In Verisimil. libr. I. c. 4.
(3) Adverf. VII. c. 5.
(4) Ad Phaedr. Fab. 13. Libr. IV.
(5) Adv. XIX. c. 6.
(6) Quaest. Plaut. Epid. et Mostell. c. 4.
(7) Var. Lection. lib. I. c. 5.
(8) In Prelud.
(9) Paralipom. in Antiqu. Rom. Ioan. Rosin.
(10) Epistol. ad Goldast.
(11) Epistolic. Quaest. libr. III. Ep. 2.
(12) In Praecid. Libr. II. c. 12.

Quam vel trecenta Cordubensis illius,
Pharsalicorum versuum volumina.

S. Evremontius (1) se nescire fatetur an Lucretius aeque venuste et solerter de somniis egerit, ac Petronius (2), Ioannes Gotl. Heineccius (3): *Accedit*, ait, *celeberrimus ille elegantiarum pariter, et nequitiarum arbiter Petronius, a quo sola si abesset obscenitas, nemo felicius manum ad scribendum appulisset*. Tandem Benedictus Averanius Philologus summus, omniumque iudicio commendatissimus (4) *Petronius Arbiter*, scribit (5), *tanta fuit ingenii magnitudine, ut inter Latinos Auctores principem locum tenere potuisse videatur*.

III. Potuitne igitur tanta stili venustas et elegantia in Scriptorem cadere quarti vel si mavis secundi seculi iam iam labentis? Tulitne Diocletiani, vel Commodi et Severi aetas huiusmodi scribendi rationem et proprietatem, earumque sermonis Latini munditiarum capax fuit? Et si fuit, cur nemo ullus Scriptorum per haec tempora apparet, qui cum Petronio ex aequo conferri valeat? Ignarra quidem Apuleium opposuit (6): Sed doctus Vir aut servire susceptae caussae maluit, aut parum sani in Latinis iudicii se prodere. Nam mirum quantum elegantiâ, proprietate, et venustate Apuleius a Petronio distat: quin quum ille in epithetis potissimum confingendis et coacervandis ineptus sit, frigidus, puerilis, ac saepe saepius a ve-

N te-

(1) Loc. cit.
(2) Cap. 104.
(3) In Fundam. Stil. Cultior. Part. III. Cap. I. §. 7.
(4) V. I. Clerk Biblioth. Chois. Tom. XXII. P. 1. att. 1. et Biblioth. Ancienn. et Modern. Tom. XII. Part. I. art. 2.
(5) Differt. LXIX. in Ciceron. §. 5.
(6) De Palaestr. p. 208.

tere latinitate alienissimus, et Petronius contra ex recta regulá sobrius, concinnus, et dicam etiam Cl. Heineccii verbo (1) *mirus*, neminem esse arbitror, qui et aetate eos distare perspicue non videat, et seculo fere Apuleio priorem Petronium non constituat. Clericus porro (2) sin minus ex ea aetate qua Aelius Spartianus, Aelius Lampridius, Iulius Capitolinus, Trebellius Pollio, Vulcatius Gallicanus, aliique huiusmodi semibarbari, ut ita dicam, Auctores scribebant, aliquem manifesto et recta Petronio adversum ex aequo statuit; dixit tamen forte Iustinum, quem secundo seculo floruisse volunt (3) et Censorinum, qui tertio seculo vivebat, opera Petroniano stilo, si voluissent, conscribere potuisse. Sed quis non videt quam levissima sit huiusmodi argumentandi ratio? Diceres solertem et eruditum Virum atroces illas iras, quas cum Burmanno exercebat (4), transversum egisse, minimeque ex animi sententia locutum (5). Certe quidem haec et alia nonnulla frigide sane persequitur, quin fassus initio fuerat Petronii stilum non Diocletiani, sed Traiani potius tempora redolere (6), et Neronis dicere poterat, quae vix viginti annis praecesserat, quo temporis spatio eadem ferme mansit Latinarum literarum conditio. Ceterum etsi illud certa animi persuasione Clericus protulisset, haud tanti est iudicium eius, qui sat leviter et perfunctorie Petronium evolvisse videtur, ut eorum senten-

(1) Loc. cit.
(2) Biblioth. Chois. Tom. XIX. art. 9.
(3) V. Saxii Onomost.
(4) V. Bibliot. Chois. loc. cit. et Burmann. Praef. in Petron. suum etc.
(5) Vide Art. Critic. Part. II. S. I. Cap. 6. §. 5.
(6) Loc. cit.

tentiae sit praeferendum; qui plurima Latinarum literarum prudentiâ, studiosissime, et diu in Petronio versando, perlegendo, restituendo, interpretando incubuerunt. Sunt tandem qui putant assidua praestantiorum Auctorum lectione, frequentibus stili exercitamentis, longo atque improbo labore Petronium eam scribendi elegantiam comparare sibi potuisse. Sed et id parum recte. Primum enim ab ista servili cura, a labore composito, adfectataque imitatione maxime abhorret Petronii stilus; omniaque in eo non externâ et peregrinâ venâ, sed proprio, et naturali eloquii fonte profluunt: quin non pauca negligenter potius pertractantur et supine. Praeterea si Svetonius, Tacitus, Gellius, Iustinus, Apuleius nec ingenii laude, nec industria Petronio forte minores in praestantissimos quosque Scriptores incubuerunt, cur tamen Petroniani stili elegantiam non sunt consecuti? Caussa omnino in una aetate posita est. Neque urgenda sunt exempla potissimum Seculi XVI. quo castissime plures latine scripserunt. Nam isti, praeterquamquod a Petronii facilitate, et vernulà, quam ipsemet vocat (1), urbanitate distant, eâ potissimum de caussâ ad tam sublime stili fastigium, meâ sententiâ, pervenerunt, quod eo sermone in scripturâ uterentur, quem non quotidianus usus, non insolentia plebis, non imperitorum inscitia perpetuo immutaret et corrumperet, sed quem purum putumque summorum Auctorum libri suppeditarent. Quamobrem qui ex Italis nostris potissimum caste reapse et latine scribere amarunt, scientes Romanam linguam in familiarem sermonem adductam pollui et inquinari, vel a paucis verbis ex tempore et temere efferendis re-

(1) Cap. 24.

ligiose sese temperarunt (1). Contra vero; qui corrupto quidem et inquinato, sed manente tamen adhuc in usu Latino sermone scripserunt, ut ut ad puriores fontes haurire contenderent, numquam tamen fieri potuit, ut genuinum nativumque latinarum literarum colorem exprimere amplius valerent. Nam quum a teneris usque unguiculis sermonem impurum addidicissent, quotidianaque consuetudine vitiosis loquendi modis magis magisque adsuevissent, necesse fuit, ut etiam imprudentibus et invitis multa a veteris stili sermonisque legibus abhorrentia in scripturam suam transirent, et sese obtruderent. Quamobrem quum ingenita et nativa in Petronio sit stili elegantia, quum ea sit universa scribendi ratio, quae nonnisi aetate obtinuit, quae Augustaeam excepit, iterum fit ea ipsa aetate Petronium florere debuisse, et Phaedro propterea fuisse saltem supparem.

IV. 4. Eamdem praeterea aetatem luculentius quoque ea produnt et evincunt, quae de casu Eloquentiae Romani Fori pluribus Petronius conqueritur. *Nunc*, ait, (2), *et verborum tumore, et sententiarum vanissimo strepitu hoc tantum proficiunt* (adolescentes) *ut quum in Forum venerint putent se in alium terrarum orbem delatos. Et ideo ego adolescentulos existimo in Scholis stultissimos fieri, quia nihil ex iis, quae in usu habemus aut audiunt, aut vident, sed piratas cum catenis in littore stantes, sed tyrannos edicta scribentes, et qui imperent filiis, ut patrum suorum capita praecidant, sed responsa in pestilentiam data, ut virgines tres aut plu-*

(1) V. Heinecc. Oper. cit. Part. III. c. 1. §. 2. (*). Aug. Thuan. de vit. sua libr. I. p. 17. Tom. VII. Oper. edit. Londin. 1733.

(2) Cap. I.

plures immolentur; sed mellitos verborum globulos, et omnia dicta factaque quasi papavero et sesamo sparsa . . . (1) *Pace vestra liceat dixisse primi omnium Eloquentiam perdidistis. Levibus enim atque inanibus sonis ludibria quaedam excitando effecistis, ut corpus orationis enervaretur et caderet. Nondum iuvenes declamationibus continebantur, quum Sophocles, aut Euripides invenerunt verba quibus deberent loqui. Nondum umbraticus doctor ingenia deleverat, quum Pindarus novemque Lyrici Homericis versibus canere timuerunt. Et ne Poetas quidem ad testimonium citem, certe neque Platona, neque Demosthenem ad hoc genus exercitationis accessisse video. Grandis, et ut ita dicam, pudica oratio non est maculosa nec turgida, sed naturali pulchritudine exsurgit. Nuper ventosa isthaec et enormis loquacitas Athenas ex Asia commigravit, animosque iuvenum ad magna surgentes veluti pestilenti quodam sidere afflavit. Simulque corrupta eloquentiae regula stetit et obtinuit . . . .* (2) *Minimum in his exercitationibus doctores peccant, qui necesse habent cum insanientibus furere. Nam nisi dixerint, quae adolescentuli probent, ut ait Cicero, soli in Scholis relinquentur . . . Eloquentiae Magister nisi tamquam piscator eam imposuerit hamis escam, quam scierit appetituros esse pisciculos sine spe predae moratur in scopulo. Quid ergo est? Parentes obiurgatione digni sunt, qui nolunt liberos suos severâ lege proficere. Primum enim sicut omnia spes quoque suas ambitioni donant; deinde quum ad studia properant cruda adhuc studia in Forum propellunt, et eloquentiam, qua nihil esse maius confitentur pueris induunt adhuc nascentibus.*

Quod

(1) Cap. 2.
(2) Cap. 3.

Quod si paterentur laborum gradus fieri, et studiosi iuvenes lectione severâ irrigarentur, et sapientiae praeceptis animos componerent, ut verba atroci stilo effoderent, ut quod vellent imitari diu audirent, sibi nihil esset magnificum, quod pueris placeret. Tum illa grandis oratio haberet maiestatis suae pondus. Nunc pueri in Scholis ludunt, iuvenes ridentur in Foro. Ex his autem liquido colligitur Romanam Eloquentiam Petronii aetate corruptam primum fuisse, atque a vetere dignitate tunc fuisse revera collapsam. Tum ruinae caussas extitisse: I. Declamationes ineptas, futiles, ridiculas, quarum recens erat origo. II. Stilum levem et dissolutum, ventosum et inanem, qui nuper etiam ex Asia Athenas, ex Athenis Romam inlatus fuerat. III. Iuventutis desidiam ac socordiam. IV. Perversam adolescentium institutionem, improbamque parentum in eis educandis negligentiam. V. Horum tandem ambitionem, qui pueros nullo fere honesto studio imbutos statim Oratores ac Rhetores fieri contendebant. Atqui haec omnia, si quid Romanarum literarum historia vera est, certissimis plane finibus eam aetatem, quae Augustaeam subsecuta est, circumscribunt. Et primum, quamvis Romana Eloquentia post magni Tullii interitum ab illa maiestate, ad quam is potissimum perduxerat statim deflecteret, per totum tamen Augusti principatum, quo purissimus Latinus sermo viguit, sese decenter sustinuit, clarisque adhuc ingeniis exculta honestissime enituit. Asinius Pollio, Messalla Corvinus, Porcius Latro, Passienus, Cassius Severus valde probabiles Oratores sunt habiti, et imitatione digni. Eos magnis laudibus efferunt Seneca Rhetor (1), Quintilianus (2), Auctor Dialogi de

(1) V. Praefationes in libros Controversiar.
(2) Inst. Orat. libr. X. c. 1. XII. c. 11. etc.

de corrupta Eloquentia (1), aliique nonnulli (2), interque veteres Latinos Scriptores et Oratores recensent. Verum deinceps forensis Eloquentia plane concidit, vetusque dicendi genus immutatum et corruptum iacuit. Nihil amplius sani nativique coloris enituit, neque ullus eorum, qui per ea tempora Eloquentiae dabant operam, Oratoris cognomen amplius mereri valuit (3). Dialogus modo adductus, vix sexagesimo ab Augusti obitu anno habitus (4), de miserrimo Romanae Eloquentiae casu, deque prostrata et plane deperdita Oratoria arte totus versatur. Quin Seneca Rhetor circa postrema Tiberii tempora haec ad filios suos scribebat (5): *Deinde ut possitis aestimare quantum quotidie ingenia decrescant, et nescio qua iniquitate naturae Eloquentia retro se retulerit, quidquid Romana facundia habet, quod insolenti Graeciae aut opponat aut praeferat circa Ciceronem effloruit, omnia ingenia quae lucem nostris studiis attulerunt tunc nata sunt. In deterius deinde quotidie data res est, sive luxu temporum, nihil enim tam mortiferum ingeniis, quam luxuria, sive quum praemium pulcherrimae rei cecidisset; translatum est omne certamen ad turpia, multo honore quaestuque vigentia . . . . Ite nunc et in istis vulsis atque expolitis, et nusquam nisi in libidine viris quaerite Oratorem. Merito talia habent exempla, qualia ingenia. Quis est qui nunc memoriae studeat? Quis qui non dico magnis viribus, sed suis placeat? Sententias a disertissimis viris factas facile in tanta hominum desidia pro suis dicunt, et sic*

(1) Cap. XII. XV. XVIII. XX. XXV. etc.
(2) S. Hieronym. in Chron. Euseb.
(3) Dialog. cit. c. I.
(4) V. Cap. XVII.
(5) Praefat. in Controv.

sic acerrimam Eloquentiam, quia praestare non possunt, violare non desinunt. Eo libentius quod exigitis faciam, et quaecumque a celeberrimae facundiae viris (Augustaei aevi) *teneo, ne ad quemquam privatim pertineant populo dedicabo*. Petronius igitur qui tam perspicue cenqueritur Romanam eloquentiam aetate sua primum concidisse non potest nisi ad ista tempora pertinere.

V. Illae praeterea caussae, quibus aetate sua Eloquentiam corruptam fuisse Petronius scribit, eae ipsae sunt, quae aevo, quod Augustaeum excepit, Romanam eloquentiam perdiderunt. Et primum declamandi consuetudo. Seneca Rhetor (1) haec sibi dixisse Cassium Severum scribit: *Indicabo tibi affectum meum; quum in Foro dico, aliquid ago, quum declamo . . . videor mihi in somnis laborare . . . . Non est quod Oratorem in hac puerili exercitatione spectes*. Quintilianus (2): *Eo quidem*, ait, *res ista culpâ docentium recidit, ut inter praecipuas, quae corrumperent Eloquentiam, caussas, licentia atque inscitia declamantium fuerit . . . Nam magos, et pestilentiam, et responsa, et saeviores Tragicis novercas, aliaque magis adhuc fabulosa frustra inter sponsiones et interdicta quaeremus*. Auctor Dialogi: *Haec sibi*, scribit (3), *illi Veteres persuadebant, ad haec efficienda intelligebant opus esse, non ut Rhetorum scholis declamarent, nec ut fictis nec ullo modo ad veritatem accedentibus controversiis linguam modo et vocem exercerent, sed ut his artibus pectus implerent, in quibus de bonis ac malis, de honesto ac turpi, de iusto et iniusto disputarent*. Tum subdit

(1) Praef. in libr. III. Controv.
(2) Libr. II. c. 10. Vide et. lib. X. c. 5. XII. c. 11.
(3) Cap. XXXI.

dit (1): *At nunc adolescentuli deducuntur in Scenas Scholasticorum ... quibus non facile dixerim utrumne locus ipse, an condiscipuli, an genus studiorum plus mali ingeniis afferant. Nam in loco nihil reverentiae, sed in quem nemo nisi imperitus aeque intrat. In condiscipulis nihil profectus, quum pueri inter pueros, et adolescentuli inter adolescentulos pari securitate dicant, et audiantur. Ipsae vero exercitationes magna ex parte contrariae .... Ex iis Suasoriae quidem, etsi tanquam plane leviores, et minus prudentiae exigentes, pueris delegantur, Controversiae robustioribus assignantur, quales per fidem, et quam incredibiliter compositae! Sequitur autem ut materiae abhorrenti a veritate declamatio quoque adhibeatur. Sic fit ut Tyrannicidarum praemia, aut vitiatarum electiones, aut pestilentiae remedia, aut incesta matrum, aut quidquid in Schola quotidie agitur in Foro vel raro vel numquam ingentibus verbis prosequantur.* Hactenus Seneca, Fabius, Auctor Dialogi. Conferantur, quaeso, diligenter haec omnia cum illis, quae Petronius habet, fierine potest, ut unum idemque seculum statim non prodant et evincant? Quod quidem illud etiam arguit, recentem nempe declamationum originem ad aetatem Petronii fuisse. Declamationes enim apud Graecos haud multum ante Ciceronem, apud Latinos autem tantummodo Augusti aevo exaudiri coeperunt. *At nunc,* scribit Auctor Dialogi (2), *Adolescentuli nostri deducuntur in Scenas Scholasticorum, qui Rhetores vocantur, quos paullo ante Ciceronis tempora extitisse, nec placuisse Maioribus nostris ex eo manifestum est,*

Q *quod*

(1) Cap. XXXV.
(2) Cap. citat.

quod M. Crasso, et Domitio Censoribus (1) *cludere, ut ait Cicero, ludum impudentiae iussi sunt*. Seneca Rhetor (2): *Hoc autem genus materiae quo nos exercemur adeo novum est, ut nomen quoque eius novum sit ... Scholastica Controversia multo recentior est, sicut ipsa declamatio ... Modo nomen hoc prodiit. Nam et studium ipsum nuper celebrari coepit. Ideo facile est mihi ab incunabulis nosse rem post me natam*. Quapropter, si hac in re tempus recens haud ultra seculum extendi posse videtur perspicuum est intra seculum ab declamationibus Romae receptis aetatem Petronii esse collocandam, et propterea circa Claudii, et Neronis aevum, non Severi vel Diocletiani esse constituendam. Itane namque recentem declamationum originem praedicare potuisset Petronius, si quarti tertiive seculi initiis floruisset, postquam scilicet per bene quinque vel quatuor secula latissime eae invaluissent; nec omnino per tam diuturnum tempus tum Graeca tum Romana Eloquentiâ, antequam per declamationes perderetur, incorrupta, et sincera enituisset?

VI. Altera corruptae Eloquentiae caussa Petronio est quaedam levis et inepta dicendi ratio, stilus enervis et ventosus, qui voluptatem, mollitiem, et delicias quaereret. Atqui is ipse prorsus stilus seculo, quod Augustaeum est subsecutum latissime celebrabatur. *Nunc*, ait Fabius (3), *in ipsa capitis aut fortunarum pericula irrupit voluptas*. Tum (4): *Plerisque moris est, prolato rerum ordine, protinus utique in aliquem laetum ac plausibilem locum, quam ma-*

(1) V. Ciceron. lib. III. de Orat. c. 24. Sveton. de clar. Rhetorib. c. 1. Gell. noct. Attic. XV. c. 11.
(2) Praef. ad libr. 1. Controv.
(3) Libr. IV. c. 2.
(4) Libr. cit. c. 3.

maxime possint favorabiliter excurrere. Quod quidem, natum ab ostentatione declamatoria, iam in Forum venit, postquam agere caussas non ad utilitatem litigatorum, sed ad patronorum iactationem repertum est: Ne . . . . dilatis diutius dicendi voluptatibus oratio refrigescat. Tandem (1): *Alios recens haec lascivia, deliciaeque, et omnia ad voluptatem multitudinis imperitae composita delectant*. Persius autem qui octavo Neronis anno extinctus est (2), in novam hanc dicendi rationem sic vehementius invehitur (3):

Hos pueris monitus patres infundere lippos
Quum videas, quaerisne unde haec sartago loquendi
Venerit in linguas? Unde istud dedecus, in quo
Trossulus exsultat tibi per subsellia laevis?
Nilne pudet, capiti non posse pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire: Decenter!
Fur es, ait Pedio. Pedius quid? Crimina rasis
Librat in antithetis, doctas posuisse figuras:
Laudatur. Bellum hoc. Hoc bellum? an Romule ceves?

Apud Auctorem autem Dialogi Aper et Messalla, qui iam Claudii et Neronis aetate florebant (4), Petronianis querelis multa quam simillima habent: *Praecurrit hoc tempore*, ait ille (5), *Iudex dicentem, et nisi aut cursu argumentorum, aut colore sententiarum, aut nitore et cultu descriptionum invitatus et corruptus est aversatur dicentem. Vulgus quoque assistentium et affluens et vagus auditor assuevit iam exigere laetitiam et pulchritudinem orationis*,

(1) Libr. X. c. 1.
(2) V. D. Hieronym. in Chron.
(3) Satyr. I. v. 78.
(4) Cap. XI.
(5) Cap. XX.

nis. Messalla vero (1): *Malim, inquit, Oratorem vel hirtâ togâ induere, quam fucatis et meretriciis vestibus insignire. Neque enim oratorius iste, immo hercule ne virilis quidem cultus est, quo plerique temporum nostrorum actores ita utuntur, ut lasciviâ verborum, et levitate sententiarum, et licentia compositionis histrionales modos exprimant, quodque vix auditu fas esse debet, laudis et gloriae, et ingenii loco plerique iactant cantari saltariqúe commentarios suos. Unde oritur illa foeda et praepostera, sed tamen frequens quibusdam exclamatio, ut Oratores nostri tenere dicere, histriones diserte saltare dicantur*. En ipsissimus stilus quem Petronius arguit; et ecce ipsa propterea Petronii aetas.

VII. Quae Petronii aetas ut gravius firmetur illud sedulo est animadvertendum, scribi nempe a Petronio, quod ventosa ista, turgida, et tenera dicendi ratio *nuper* primum ab aetate sua ex Asiâ Athenas commigrasset, corruptâque Graecâ Eloquentià, haud multum adeo post et Latinam afflixisset. Graeca autem Eloquentia circa initia Augusti primum ita revera absurda et ventosa facta est, qualem illam Petronius describit. Hactenus sin minus integrum illud decus, quod Demosthenes maxime ei pepererat, plane incorruptum servaverat, sobria tamen, elegans, et modesta adhuc permanserat. Cuius rei illud invictum est argumentum, quod ut superioribus temporibus Romanae Eloquentiae parens et altrix extiterat, ita proxima aetate Ciceronem ipsum instituisset atque efformasset. A Graecis quidem Viris Carneade, Diogene, et Critolao ad veram sinceramque Eloquentiam primum Romani incensi sunt, quum hi legati Atheniensium ve-

(1) Cap. XXVI.

venissent Romam (1). Tiberius Gracchus vehemens et clarus Orator *semper habuit*, ut scribit Cicero (2), *exquisitos e Graecia Magistros, et in eis iam adolescens Diophanem Mitylenaeum Graeciae temporibus illis disertissimum*. Antonius, Crassus, Hortensius Viri eloquentissimi sub Graecis Oratoribus profecerunt (3). Cicero tandem Antiochum, Philonem, Molonem Rhodium, Demetrium Syrum, Menippum Stratonicensem, Dionysium Magnetem, Aeschylum Gnidium, Xenoclem Adramytenum, aliosque Graecos Rhetores, vel Praeceptores, vel familiarissimos habuit (4). Diu Graece declamavit (5), et Graeciam, Asiamque totam, ut Oratores, quos altissimis saepe laudibus ornat, inviseret et audiret, peragravit (6): Quin quum singillatim de Asiatico stilo mentionem iniecisset commode laudat (7), ex quo clarius etiam patet ante senectutem suam honeste et decenter illum adhuc se sustinuisse. Verum circa Ciceronis obitum Graeca Eloquentia non decidere modo visa est, sed omnino perire, et quidem ex Asia mala peste, plane ac scribit Petronius, Athenas ipsas inficiente. Dionysius Halicarnasseus, qui per ista ipsa tempora vivebat, ipsissimis ac Petronius querelis id prodit; *Iam inde*, ait (8), *a morte Alexandri Magni sensim deficiens, paullatimque contabescens Eloquentia, nostra tempestate eo pervenit, ut penitus propemodum ex-*

(1) V. Ciceron. de Orat. libr. III. c. 18. et libr. I. c. 4. A. Gell. lib. VII. c. 14.
(2) In Bruto cap. 27.
(3) V. Ciceron. de Orat. libr. II. c. 88. libr. I. c. 11.
(4) De Finib. V. c. 1. In Brut. c. 91. etc.
(5) In Brut. c. 90.
(6) Libr. cit. c. 90. 91. etc.
(7) Libr. cit. c. 95.
(8) De Oratorib. Antiqu. cap. 1.

extincta sit. Alia autem theatrali quadam impudentiâ infamis et contumax in eius locum successit, quae nec Philosophiam, nec alias humaniores artes amplexa est, et imperitam multitudinem decepit; nec solum maiorem abundantiam, maiores delicias, splendoremque illustriorem sectata est, verum ipsas etiam dignitates, urbiumque Magistratus, quos doctam illam Eloquentiam habere par erat, ad se rapuit, et intolerabili fastu se iactans, eo Graeciam redegit, ut prodigis, depravatis, et infortunatis familiis eam similem effecerit . . . Iam in omni Republicâ, quin et in bene institutis, quod profecto omnium malorum summum est, antiqua illa et innata Attica Musa propriis bonis infamis facta est, nova autem haec e speluncis nonnullis heri et nuperrime exorta vel Phrygia Musa, vel Caricum aliquod malum, aut potius barbarum aliam e civitatibus eliminans indocta scilicet doctam, sapientem insipiens, ipsas Graeciae Civitates voluit administrare. Auctor vero Dialogi (1): *Quibusdam Romanis*, scribit, *solatio est, quia vident etiam Graecis accidisse, ut longius absit Aschine et Demosthene Sacerdos iste Nicetas, et si quis alius Ephesum vel Mitylenas contentus Scholasticorum clamoribus quatit, quam Afer, aut Africanus, aut vos ipsi a Cicerone aut Asinio recessistis.* Romae vero stilus quem Petronius arguit circa Tiberii initia primum invaluit. Antea, ut iam observavimus, satis sana Eloquentia enituerat, aequamque sobrietatem et proprietatem servaverat. Quin Aper apud Auctorem Dialogi (2) omnes Oratores qui superioribus temporibus floruerant, ut siccos potius, se-

ve-

(1) Cap. XV.
(2) Cap. XXI. XXII. et XVIII. V. et Sveton. in August. c. 86.

veros, incomtos reprehendit. Quamobrem haud recte, mea sententia, faciunt qui Romanam Eloquentiam ab Asinio Pollione corruptam putant (1), quum is adeo archaicum et severum dicendi genus adfectasset (2), ut seculo prior Cicerone videretur (3). Sed primus Cassius Severus, qui circa postrema Tiberii tempora extinctus est (4) inter veteres Oratores, et novos Caussidicos medius ab adsueta dicendi ratione deflexit, deliciasque illas oratorias, quas Petronius reprehendit, quaesivit. *Nam quatenus*, Aper ait (5), *antiquorum admiratores hunc veluti terminum antiquitatis constituere solent, quem usque ad Cassium Severum faciunt, quem primum affirmant flexisse ab illa vetere atque dicendi viâ directa, non infirmitate ingenii, nec inscitiâ literarum transtulisse se ad id dicendi genus* (6) *contendo, sed iudicio et intellectu: Vidit namque, cum conditione temporum ac diversitate aurium formam quoque ac speciem orationis esse mutandam.* Messalla vero (7): *Primus*, inquit, *Cassius Severus contemto ordine rerum, omissâ modestiâ ac pudore verborum, ipsis etiam quibus utitur armis est incompositus.* Igitur quum illud Petronii *nuper* nonnisi ista tempora spectare possit, plane consequitur eum haud multum infra Tiberium floruisse.

VIII. Ioannes Clericus animadvertens (8) variam esse atque ambiguam potestatem illius *nuper*, et Ci-

(1) Tirabosch. Letterat. Ital. Tom. I. Part. III. Libr. III. c. 2. §. 20.
(2) Dialog. cit. c. XXI.
(3) Quintilian. libr. X. c. 1.
(4) S. Hieronym. in Chronic.
(5) Cap. XIX.
(6) V. et Cap. XX.
(7) Cap. XXVI.
(8) Biblioth. Chois. Tom. XIX. p. 355.

Ciceronem in libris de Divinatione (1) Graecorum Philosophiam, quae haud paucis ante aetatem suam seculis florere coeperat, *nuper* natam dixisse, maximam argumenti vim se elusisse autumavit. Sed frustra. Nam quamvis incertum sit quid distincte sibi velit *nuper* seorsim et in se spectatum, in singulis vero Auctorum locis certam perspicuamque ex adiectis habet significationem. Ita quidem ut ubi de plurimis diebus agitur, aliquot tantummodo eorum notet, ubi de plurimis annis vel seculis, aliquot solum annos vel secula significet. Cicero autem eo in loco non de paucissimis seculis, ut Petronius, sed de quadam, ut ita dicam, aeternitate temporum loquitur. *Quid est igitur*, ibi scribit, *cur dubitandum sit*, an extet divinatio, *si ratio mecum facit, si eventa, si populi, si nationes, si Graeci, si Barbari, si Maiores etiam nostri, si denique hoc semper ita putatum est*? Tum singillatim Babylonios seu Assyrios adducit (2), quos *quatuorcentum septuaginta millia annorum monumentis comprehensa continere* scribit, et Aegyptios (3), qui *eamdem artem* divinationis *longinquitate temporum innumerabilibus paene seculis consecuti* ab eodem Cicerone putantur: Graecorum autem Philosophia a Thalete Milesio et Pherecyde Syro, qui eius parentes haberi possunt, ne quinque quidem secula integra ad Ciceronem adhuc adnumerabat. Et Cicero tempora paullo etiam inferiora spectabat. Ad rem enim suam Xenophanem Colophonium, et Pythagoram ut vetustiores habet. *Ex quibus* Philosophis, ait (4), *ut de antiquissimis loquar, Colophonius Xenophanes unus, qui Deos esse diceret, divinationem*

(1) Libr. I. c. 39.
(2) Libr. cit. c. 19.
(3) Libr. cit. c. 1.
(4) I. De Div. c. 3.

nem funditus sustulit. Tum eo in loco quem adducebat Clericus: *Quam divinationem*, inquit, *et cernimus ipsi, et audimus, et legimus, et a patribus accepimus, neque ante Philosophiam patefactam, quae* nuper *inventa est, hac de re communis vita dubitavit, et posteaquam Philosophia processit nemo aliter Philosophus sensit, in quo modo esset auctoritas. Dixi de Pythagora, de Democrito, de Socrate, excepi de antiquis praeter Xenophanem neminem*. Quid ergo quinque fere secula adversus innumerabilia sunt, quid quingenti anni ad quingenta fere millia, nonne plane, ut ita dicam, evanescunt, et vix in rationes venire possunt? Sic iterum ipse Cicero de solertia, industria, ingenioque brutorum animantium disserens (1), multisque ea uti rationibus remediisque ad sese tuenda, servanda, curanda ostendens: *Quid ea*, ait, *quae* nuper, *idest paucis ante seculis medicorum ingeniis reperta sunt? Vomitione canes, purgante autem alvos Ibes Aegyptiae curant*. Sed quod tempus spectabat Orator? Sempiternum ferme, et omni principio carens, tempus nempe originum Mundi et animantium. Quae si animadvertisset Clericus, vidisset potius nil magis luculenter et invicte, ac illud *nuper* genuinam Petronii aetatem evincere; atque inde mathematicum ferme in modum demonstrationem, quam vocant, pulchre posse exornari. Ea huiusmodi est.

IX. Tempus a *τῷ nuper* notatum inter duo temporum intervalla est constitutum praeteriti nempe et praesentis, ita tamen ut longe propius sit praesenti, quam praeterito: Ideoque totum tempus de quo agitur rectâ lineâ exhiberi potest, ea ratione divisâ, ut anterior pars longe posteriori sit maior.

 Quo-

(1) II. de Nat. Deor. c. 50.

Quotâ autem ratione prius intervallum, seu anterior pars lineae posteriorem partem superet distincte et singillatim definiri nequit. Sunt vero certissimi fines, qui praeteriri non possunt: scilicet exploratum prorsus videtur eam rationem nullo pacto fieri posse minorem quadruplâ. Et re quidem vera ubi de quatuor tantummodo seculis agitur, quis dixerit *nuper* facta, quae sub finem tertii seculi evenerunt? Quis Ciceronis aetate dixerit *nuper* Annibalem in Italiam adventasse, ubi de primis Romanis Consulibus loqueretur? Vel quis modo Tiberii Caesaris tempora spectans Franciscum Petrarcham *nuper* floruisse diceret? Anterius ergo intervallum posteriore saltem quadruplo maius esse debet: Et propterea si ea linea in quinque aequas partes tribuatur, initio lineae constitutum erit praeteritum tempus, sub finem praesens, medium vero inter quartam quintamque partem illud a τῶ *nuper* indicatum. Petronius autem eo in loco de quo agimus vel de Graeca eloquentia locutus est, vel de Romana: Tum tempus τῶ *nuper* est exploratum. Erit enim, ut vidimus, circa Ciceronis obitum, si de Graecâ, circa Tiberii initia, si de Romanâ eloquentiâ agatur. Praeteritum vero pariter certum est. Nam si Romanam eloquentiam spectavit Petronius, illa omnino tempora proponere sibi debuit, quibus ea quoddam iam nomen haberet, nonnullisque scriptis nota fieri coepisset. Id autem sexto ab Urbe condita seculo per Cethegum et Catonem primum est factum (1), ducentis nempe circiter annis ante Tiberii principatum. Quod si potius de Graeca eloquentia agitur, aequum esse puto tenere Petronium haud ultra Periclis tempora spectasse, qui

(1) V. Ciceron. in Brut.

qui a Cicerone primus Graecorum Oratorum constituitur. Quod si quis putaverit eos Scriptores Petronium sibi proposuisse quos singillatim adducit, animadvertendum est Pindarum, Sophoclem, et Euripidem, qui circa LXXX Olympiaden florebant (1), cum primis laudare et adducere. Ab his autem ad postrema Ciceronis tempora quadringenti fere anni intercedunt. Petronius quidem et de novem Lyricis meminit, sed quum eos Pindaro postposuisset, nullumque eorum singillatim nominasset, nullam etiam eorum rationem, quoad temporum ordinem, habuisse videtur. Verum esto, ponamus et Lyricorum aetatem aliquo pacto spectasse Petronium, quum maxima eorum et potior pars paullo ante Pindarum floruisset, haud quingentos solidos annos ad Ciceronis senectutem adhuc habebimus. Instituamus modo rationes. Si Petronius de Latina eloquentia est locutus, et prius intervallum, quod diximus, seu prima pars lineae, est ad posterius, seu ad alteram lineae partem, ut quatuor ad unum, quemadmodum Mathematici loquuntur; quum in Petronio prius intervallum sit ducentorum circiter annorum, ex facillima Arithmeticorum regula fit posterius esse circiter quinquaginta. Ergo Petronius quinquagesimo ferme anno ab Augusti obitu scribebat, scilicet circa decimum Neronis annum. Si vero Graecam eloquentiam spectavit Petronius, et paullo minus quam quingentos annos in rationibus ponemus, alterum intervallum fiet annorum ferme centum viginti, quos si a decimo circiter anno ante Augusti principatum numerare incipimus in ipsum ferme decimum Neronis annum nec ultra plane consistimus. Quae propterea genuina prorsus

P 2

(1) V. Saxium in Onomastic.

sus et verissima erit Petronii aetas. Quod ut per absurdum etiam, ut Dialectici loquuntur, ostendatur, age ponamus Petronium circa Diocletiani tempora, hoc est circa finem tertii, vel quarti seculi initia floruisse: Scilicet tum habebimus trecentos quinquaginta solidos annos a corruptione Graecae eloquentiae, trecentos ferme a corruptione Latinae: eruntque quadringenti ferme anni ab initiis Graecae eloquentiae ad suam corruptionem, ducenti autem omnino Latinae. Ideoque si totum utriusque eloquentiae tempus rectâ lineâ significabitur, quum de Graeca loquimur tempus τὸ *nuper* medium ferme erit inter praeteritum et praesens, qûum de Romana longe propius praeterito quam praesenti. Quae sunt omnino absurda.

X. Sed et caetera, quae tamquam corruptae aevo suo Eloquentiae caussas adserebat Petronius, desidia nempe iuventutis, praepostera studia, et parentum in educandis liberis flagitiosa socordia Tiberii, Claudii, et Neronis aetate corruptae revera Romanae Eloquentiae caussae extiterunt. *In deterius*, ait Seneca pater (1), *deinceps* (aliquamdiu post Ciceronem) *quotidie data res est, sive luxu temporum; nihil enim est tam mortiferum ingeniis, quam luxuria, sive quum praemium pulcherrimae rei cecidisset, translatum est omne certamen ad turpia, multo honore quaestuque vigentia. Torpent ecce ingenia desidiosae iuventutis, nec in ullius honestae rei labore vigilatur. Somnus languorque, ac somno et languore turpior malarum rerum industria invasit animos*. Persius autem de improbâ parentum in pueris suis recte instituendis negligentiâ totam tertiam Satyram conscripsit, quam quisque commode per-

(1) Praef. in Controv.

perlegere poterit. **Cassius Severus haec eidem Senecae** aiebat (1): *Utrum putas hoc dicentium vitium esse, an audientium? Non illi peius dicunt, sed hi corruptius iudicant; Pueri fere aut iuvenes Scholas frequentant. Hi non tantum disertissimis Viris, quos paullo ante retuli, sed etiam Ciceroni Cestium suum praeferrent, nisi lapides timerent.* Tandem distinctius et uberius Messalla apud Auctorem Dialogi: *Quis enim ignorat*, ait (2), *et Eloquentiam et ceteras artes descivisse ab ista vetere gloriâ, non inopiâ hominum, sed desidiâ iuventutis, et negligentia parentum, et inscientia praecipientium, et oblivione moris antiqui* . : . (3)? *Et nunc natus infans delegatur Graeculae alicui ancillae, cui adiungitur unus aut alter ex omnibus servis plerumque vilissimus, nec cuiquam serio ministerio accommodatus. Horum fabulis, et erroribus teneri statim et rudes animi imbuuntur. Nec quisquam in tota domo pensi habet, quid coram infante domino, aut dicat, aut faciat: quando etiam ipsi parentes nec probitati, neque modestiae parvulos assuefaciunt, sed lasciviae et libertati per quae paullatim impudentia irrepit, et sui alienique contemtus. Iam vero propria et peculiaria huius Urbis vitia paene in utero matris concipi mihi videntur histrionalis favor* (4), *et gladiatorum, equorumque studia* . . . *Nec praeceptores quidem ullas crebiores cum auditoribus suis Fabulas habent. Colligunt enim discipulos non severitate disciplinae, nec ingenii experimento, sed ambitione salutantium, et illecebris adulationis. Transeo prima discentium elementa, in quibus et ipsis pa-*

(1) Praef. ad libr. III. Controv.
(2) Cap. XXVIII.
(3) Cap. XXIX.
(4) V. Petron. cap. 5.

parum elaboratur, nec in Auctoribus cognoscendis, nec in evolvenda antiquitate nec in notitia vel rerum, vel hominum, vel temporum satis operae insumitur, sed expetuntur quos Rhetores vocant etc. Quum ergo mores et vitia quae Petronii aevo Eloquentiam corruperunt ea ipsa sint, quae Eloquentiam Senecae, Persii, et Messallae temporibus corruperint, nec ulli alii aetati convenire haec possint, invicte consequitur Petronium circa Senecae, Persii, et Messallae tempora floruisse.

XI. 5. Queritur insuper Petronius Latinam Poesim aeque ac Eloquentiam a pristina dignitate aevo suo collapsam, et ante constitutum quidem a rerum naturà et ordine tempus praepopere concidisse: *Ac ne carmen quidem*, ait (1), *sani coloris enituit, sed omnia quasi eodem cibo pasta non potuerunt usque ad senectutem canescere*. Atqui id etiam Tiberii, Claudii, et Neronis aetate potissimum factum fuit, et Latina poesis paullo post Augustum revera ante tempus contabuit, ut ita dicam, et intempestive consenuit. Ubi enim huius Imperatoris aetatem lustramus ingens maximorum Poetarum cohors occurrit, quorum elegantiam vix mirari satis sumus. Summa est sermonis venustas, summa verborum puritas, et quaedam stili sanitas et beata copia communis omnibus et indivisa videtur. Verum si ad sequentem statim aetatem oculos coniicimus, vix paucos veluti in deserto dissipatos et disiectos conspicimus, stilo invicem sibi varios, et immane quantum a superioribus illis dicendi modis, lepore, et deliciis orationis distantes. Quis his de rebus Lucanum, Valerium Flaccum, Persium Virgilio, Catullo, Horatio contulerit? Sed hi nec in-

(1) Cap. 2.

ingenio, nec industriâ, nec doctrinâ valde multumque illis praestasse videntur. Vitium fere totum aevo infelici tribuendum est, quo sane quale Latinae Poesis ingenium esset luculenter Persius expressit (1):

Sed numeris decor est, et iunctura addita crudis,
Claudere sic versum didicit: Berecynthius Atyn,
Et qui coeruleum dirimebat Nerea Delphin.
Sic: costam longo subduximus Appennino:
Arma virum: *nonne hoc spumosum et cortice pingui,*
Ut ramale vetus praegrandi subere coctum.
Quidnam igitur tenerum, et laxa cervice legendum?
Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris et lyncem Maenas flexura corymbis,
Evion ingeminat; reparabilis assonat Echo.
Haec fierent si virtutis vena ulla paternae
Viveret in nobis? Summa delumbe saliva,
Hoc natat in labris, et in udo est Maenas et Atyn.

Ex quibus etiam patet eamdem caussam Persio, ac Petronio, et Eloquentiam, et Poesim Latinam corrupisse. Ideoque quum haec numquam sint alias sic facta, en iterum ipsa Petronii aetas. Praeterea duobus omnino seculis Latina Poesis primum ferme orta est, adolevit, et ad plenissimam maturitatem, absolutamque virilitatem pervenit. Haud enim longius tempus a Livio Andronico, qui primus Latinus Poeta dici meretur (2) ad Virgilium usque intercedit. Virilitatem autem media quaedam aetas subsequitur; et hanc inde senectus excipit. Et quoniam quamdam inter se rationem proportionemque servare inter se debent aetates, necesse plane est, ut

(1) Satyr. I. v. 92.
(2) V. Ciceron. in Brut. c. 18. Tuscul. qu. I. c. 1. Gell. lib. XVII. c. 21.

ut ista media aetas, haud ultra seculum extendi possit, et propterea ubi seculum iam a Virgilio excessimus ex humanarum rerum ordine reliqua Latinae Poesis aetas eius senectus est appellanda. Atqui Petronius ante naturalem Latinae Poesis senectutem florebat, ergo intra seculum a Virgilio florebat. Et quoniam is maximus iam Poeta erat trigesimo fere ante Christum natum anno, ideo Petronii aetas circa sexagesimum Aerae nostrae annum, Neronis nempe sexto et septimo, constitui optime potest.

XII. 6. Sed Petronii aevo Dialectica quoque Eloquentiae comes et magistra defecerat. *Nam ubi est*, scribit (1), *Dialectica? . . Quis umquam venit in Templum, et votum fecit, si ad Eloquentiam pervenisset?* Quid autem huiusmodi disciplina fuisset ex Cicerone audiamus (2): *Sic enim, inquam, Brute, existimo Iuris Civilis magnum usum et apud Scaevolam, et apud multos fuisse, artem in hoc uno* Sulpicio; *quod numquam effecisset ipsius iuris scientia, nisi eam praeterea didicisset Artem, quae doceret rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua vera et falsa iudicarentur, et quae, quibus positis essent, quaeque non essent consequentia. Hic enim attulit hanc artem omnium artium maximam, quasi lucem ad ea, quae confuse ab aliis aut respondebantur, aut agebantur. Dialecticam mihi videris dicere, inquit Brutus. Recte, inquam, intelligis.* Tum (3) *Dialectica quasi contracta et*

(1) Cap. 88.
(2) In Brut. c. 41.
(3) Cap. 90.

et adstricta eloquentia putanda est ; sine qua etiam tu, Brute, iudicasti te illam iustam eloquentiam, quam Dialecticam dilatatam esse putant, consequi non posse.. Quae uberius etiam alibi Cicero exposuerat (1). Ideoque tum Eloquentiae, tum genuinae et sincerae Dialecticae unus communisque cursus esse debuit, et propterea etiam circa Tiberii, Claudii, et Neronis aetatem pereundem fuit Dialecticae. Ex quibus fit et tum Petronium floruisse. Praeterea circa Neronis principatum, conditione et luxu temporum id postulantibus, duae maxime Philosophorum sectae vigebant, Epicureorum nempe, et Stoicorum, quorum illi Eloquentiam et Dialecticam nesciebant et contemnebant (2), isti vero qui diserti numquam esse potuerunt (3), ea potissimum aetate Dialecticae disciplinam impudentiae ludum effecerant, tamque absurdis ineptiis implicaverant, ut Eloquentiam, quantum in se erat, non corrumpērent modo, sed plane perderent, et extinguerent. Seneca Neronis praeceptor quamvis clarissimae famae Stoicus haec ad Lucilium scribebat (4): *Tu mihi verba distorques, et syllabas digeris, scilicet nisi interrogationes vaferrimas struxero, et conclusione falsa a vero nascens mendacium adstrinxero, non potero a fugiendis petenda secernere. Pudet me, in re tam seriâ senes ludimus! Mus syllaba est, mus autem caseum rodit, syllaba ergo caseum rodit: nisi forte acutior est illa collectio: Mus syllaba est, syllaba autem caseum non rodit, mus ergo caseum non rodit. O pueriles ineptias! In hoc supercilia*

Q *sub-*

(1) In Orator. Cap. 32. IV. Acad. qu. c. 28.
(2) V. Ciceron. in Brut. c. 35. II. de Finib. c. 6.
(3) V. Cicer. IV. de Fin. c. 3. Quintilian. libr. X. c. 1. libr. XII. c. 2.
(4) Epist. XLVIII.

subduximus, in hoc barbam demisimus, hoc est quod tristes docemus et pallidi! Tum sequenti Epistola: *Quid te torques et maceras in ea quaestione, quam subtilius est contemsisse, quam solvere? . . Demens omnibus merito viderer, si quum saxa in munimentum murorum senes feminaeque congererent . . . . sederem otiosus, et eiusmodi quaestiunculas ponerem: Quod non perdidisti habes, cornua autem non perdidisti, cornua ergo habes*. Et alia Epistola (1): *Ego non redigo ista ad legem Dialecticam, et ad illos artificii veternosissimi nodos: totum genus istud exturbandum iudico, quo circumscribi se qui interrogatur existimat, et ad confessionem perductus aliud respondet, aliud putat*. Plutarchus autem, qui paullo post floruit, tam ridiculam Stoicorum Dialecticam merito quoque derisit (2), ut et pluribus etiam deinceps Lucianus (3). Senecae ergo aetate genuina et sincera Dialectica, quam ex ipsis Graecis et Stoicis praeceptoribus didicerat Cicero (4), perierat. Praeterea Messalla Senecae fere aequalis apud Auctorem Dialogi, quum dixisset (5): *Referam necesse est animum ad eam disciplinam, qua usos esse eos Oratores accepimus, quorum infinitus labor et quotidiana meditatio, et in omni genere studiorum exercitationes, ipsorum etiam continentur libris*; de Cicerone singillatim loquens: *Ille*, ait, *Dialecticae subtilitatem, ille moralis partis utilitatem, ille rerum motus caussasque cognovit*. Quamobrem quum Messalla Ciceronem maxime Oratoribus aetatis suae opposuisset, evidenter ostendit eos Ciceronianam Dia-

(1) Epist. LXXXII.
(2) De commun. notit. adver. Stoicos.
(3) In Hermotim. §. 79. ad 82.
(4) In Brut. c. 90.
(5) Cap. XXX.

Dialecticam non nosse, ideoque egregiam artem aetate sua iam intercidisse demonstravit. Petronius ergo Senecae et Messallae aetate floruit.

XIII. 7. Hanc autem aetatem illud etiam commode firmat, quod Petronius de celeberrimo Opimiano vino non semel meminerit. *Statim allatae sunt*, scribit (1), *amphorae vitreae diligenter gypsatae, quarum in cervicibus pittacia erant adfixa cum hoc titulo: FALERNUM. OPIMIANUM. ANNORUM. CENTUM. Dum titulos perlegimus, complosit Trimalchio manus, et heu heu, inquit, ergo diutius vivit vinum, quam homuncio! . . Vita vinum est. Verum Opimianum praesto, heri non tam bonum posui, et multo honestiores cenabant. Potantibus ergo etc.* De isto autem vino non pauci ex veteribus Scriptoribus mentionem iniecerunt (2), sed omnium postremus Valerius Martialis fuisse videtur (3). Altissimum enim est deinceps de Opimiano vino silentium. Et re quidem vera, quis per alias insuper a Martiali aetates vinum illud quaesierit? Martialis circa finem primi Aerae nostrae seculi defunctus est (4), et Opimius, a quo Opimiano vino factum est nomen, anno Urbis DCXXXIII. processit Consul. Ideoque fieri non potuit, ut vinum, quod quotidie epotaretur, et vetustate corrumperetur, post viginti supra ducentos annos ad plures insuper aetates durare potuisset. Praeterea Plinius Secundus triginta fere annis ante Martialis obitum scribebat iam tum Opimia-

num

(1) Cap. 34.
(2) Cicer. in Brut. c. 83. etc.
(3) V. Libr. III. Epigr. 26. et 82. IV. 69. X. 49. etc.
(4) V. Nicol. Antonium Biblioth. Hispan. vet. Libr. I. c. 13. §. 280. Seb. Tillemont. Hist. des Emper. Domitien. Articl. XXIII. etc.

num vinum ad duritiem et consistentiam mellis fuisse redactum: *Anno fuit*, ait (1), *omnium generum bonitas L. Opimio Consule. Durant adhuc vina ducentis fere annis iam in speciem redacta mellis asperi. Etenim haec natura vinis in vetustate est, nec potari per se queunt, si non pervincat aqua, usque in amaritudinem carie indomita.* Insuper Velleius Paterculus, qui sub postremis Tiberii annis scripsit, sin minus ait Opimianum vinum iam tum plane defecisse, vult tamen, ut M. Vinicius suus ex tanta vetustate illud iam esse absolutum coniiciat (2). Temere id quidem: Nam praeter luculentissimum istud Plinii testimonium, saepius Martialis de mero sinceroque Opimiano, non de simili aequalique loquitur. Ita ad Sextilianum (3):

Testa sed antiqui felix siccatur Opimî.

Tum in Tongilium (4):

Caecuba saccentur, quaeque annus coxit Opimî.

Tandem de Fundano vino (5):

Haec Fundana tulit felix autumnus Opimî,
Expressit mustum Consul, et ipse bibit.

Verumtamen recte ex Velleio colligitur, per plures adhuc aetates deinceps a suâ vinum illud durare non potuisse, nec sani sincipitis Scriptorem extare potuisse, qui post ducentesimum vel centesimum etiam annum ab eiusdem Velleii aetate Opimianum adhuc ut potabile et vulgare celebraret. Gerardus Vossius cum Velleio sentire mavult (6), et Plinio ac Martiali fraudem obiectam pu-

(1) Hiftor. natur. libr. XIV. c. 4.
(2) Hift. libr. II. c. 7.
(3) Libr. I. Ep. 27. v. 7.
(4) II. Ep. 40.
(5) XIII. Ep. 113.
(6) Not. ad Vellei. loc. cit.

putat. Audacter profecto. Nam qui minus hac in re decipi poterant, fuerunt certe Plinius et Martialis: Ille quidem ut patriarum rerum omnium et vetustarum et recentiorum callentissimus: Is vero utpote Poeta festivus, in celebritate, cenis, pluriumque convictu versatus, quique genus originemque cuiusque fere vini veluti ex instituto pernoverat (1). Tum uterque ut de re notissima et trita eius vini mentionem iniecerunt. Attamen etsi quod contendit Vossius verum fuerit, argumentum nostrum integrum manet. Nam si Plinius et Martialis decepti fuerunt, id ex durationis probabilitate fieri omnino oportuit, quod nempe vinum eam aetatem decurrere potuisset. Ideoque fraus illa deficere debuit, quum durationis probabilitas defecit, haud scilicet multum infra aetatem Plinii ipsius et Martialis. Diu ergo post eorum aetatem scribere Petronius non potuit. Quin immo quum ex ipsis gypsatis amphoris vinum discumbentibus tribui effundique videatur, et Opimianum, quum scribebat Plinius ad mellis consistentiam accessisset, dicendum est viginti saltem annis ante, per initia nempe Neronis coenam Trimalchioneam habitam fuisse fingi. Nec dici potest aetate hac constituta, fieri, ut non de Opimiano vino, sed de quovis alio loquutus Petronius videatur, quum non centum anni ab Opimio ad Neronem, sed octoginta circiter super centum intercessissent. Primum enim haud est incredibile alium annorum numerum in fragmentis Saturae intercidisse. Etenim nil fere magis eâ mutilum, lacerum, truncum, et corruptum ex tota vetustate ad nos pervenit. Praeterea non Consul, vel annus Urbis, quo conditum vinum

(1) V. Libr. XIII. Epigr. 106. ad 125.

num fuerat, in iis pittaciis inscriptus erat, sed omnino *annorum centum*, scilicet quod illa pittacia centesimo anno a vino primum condito amphoris fuerint imposita. Quidni vero amphorae cum istis pittaciis suis servari intactae per alios octoginta annos potuerunt? Quae ergo de Opimiano vino habet Petronius commode aetatem eius circa Claudii et Neronis aevum constituunt.

XIV. 8. Verum nec temere praeterea coniicitur eumdem Martialem et Papinium Statium coaevos et aequales Poëtas nonnulla ex Petronii scriptis fuisse mutuatos. Ille enim epigrammate ad Posthumum scripsit (1): *Non bene olet, qui bene semper olet*: Quae ipsa verba Divus Hieronymus humaniorum literarum callentissimus, et cui dubio procul et Martialis et Petronius fuerant perspecti, non illi, sed huic absolute adtribuit (2). Tum in alio Martialis epigrammate legitur: *Ingeniosa gula est* (3): quae ipsa in Specimine belli Civilis (4) Petronius habet, et si utriusque Scriptoris loca conferuntur, longe magis apposite in Specimine, quam in Epigrammate congruere inveniuntur. Tandem quis non dixerit ad speciem Petroniani Trimalchionis Zoilum suum Martialem effinxisse (5)? Eadem cenae lautitia, iidem Eunuchi, et sciscitatores urinae, iidem Cinaedi, eadem alabastra, unguenta, Opimianum vinum, ostrum, pulvina, ipsi catelli ad mensam, et Zoilus ipse *Malchio* dicitur. Quod si non erit, tanta morum similitudo ad idem saltem seculum utrumque Scriptorem referent. Atqui Martialis sub Ne-

(1) Libr. II. Epigr. 12.
(2) Libr. II. Epistol. 18.
(3) Libr. XIII. n. 62.
(4) Cap. 110. v. 33.
(5) Libr. III. Ep. 82.

Nerone iam certe ex ephebis excesserat. Statius vero hoc hemistichium in sua Thebaide (1) profert: *Primus in orbe Deos fecit timor*: et Planciades Fulgentius (2) istud ipsum ex Petronio non ex Statio adducit. Tum si integra utriusque Poetae loca conferuntur, perspicue, ut arbitror, patet, non Petronium ex Papinio, sed Papinium ex Petronio hemistichium desumsisse. Haec quidem Petronius (3):

Primus in orbe Deos fecit timor, ardua coelo
Fulmina quum caderent, discussaque moenia flammis,
Atque ictus flagraret Athos.

Statius autem:

. . . . . *miseret Superum si carmina curae,*
Humanaeque preces, quid inertia pectora terres?
Primus in orbe Deos fecit timor, et tibi tuto
Nunc eat iste furor.

Nonne profecto ut proprium, ut opportunum, ut nativum in Petronio videtur hemistichium, ita contra adscititium in Papinio et mutuatum? Quin Placidus Lactantius sive Luctatius vetus Papinii interpres satis perspicue non Auctori suo, sed Petronio hemistichium illud adtribuit. Haec enim in adductum locum adnotavit: *Negat* Statius *Deos ulla alia re celebrari nisi timore mortalium, ut Lucanus*: quae finxere timent: *et Petronius Arbiter istum* (Lucanum) *secutus*: Primus in orbe Deos fecit timor. Nonnulli quidem oppositum inde potius arguebant, *τὸ istum* ad Papinium referentes. Sed minime recte. Nam tum, quod ipsi pueruli sciunt, non *istum*, sed *illum* scribendum erat. *Iste* ex

(1) Libr. III. v. 661.
(2) In Mytholog. libr. I. c. 1.
(3) In Fragment. p. 872. edit. Burmann. 1743.

ex vi sua, atque ex omnium Scriptorum usu personam aut rem propiorem significat, ideoque *istum* Placidi non Statium, sed Lucanum spectat, quod iam optime perviderunt Gonsalius (1), Barthius (2), Burmannus (3), aliique plures. Quamobrem quum Martialis et Papinius ea Imperatore Domitiano scripserint, colligi iure potest aliquot saltem annis ante Domitiani principatum Petronium floruisse: qui anni si viginti tantummodo ponuntur iam ad medium fere Neronis imperium pervenimus.

XV. 9. Et ante Domitianum quidem Petronium floruisse illud etiam commode, ut puto, indicat, quod is scilicet acerrime insectetur morem illum, quo aetate sua innumeri adolescentuli fiebant exsecti, atque in venerem frangebantur. Haec in Specimine Belli Civilis (4):

Heu pudet effari, perituraque prodere fatà!
Persarum ritu male pubescentibus annis,
Subripuere viros, exsectaque viscera ferro
In venerem fregere; atque ut fuga mobilis aevi;
Circumscripta morâ properantes differat annos,
Quaerit se natura nec invenit: omnibus ergo
Scorta placent, fractique enervi corpore gressus.

Atqui Titus Vespasianus enervatorum et cinaedorum greges, ut Aurelius Victor scribit (5), expulit, vel, ut Svetonius tradit (6), nedum fovere desiit, sed quamvis ii ludorum artifices essent, ne spectavit quidem unquam. Et Domitianus ipsis imperii sui initiis severissimâ lege sanxit ne amplius ex-

(1) Praelud. I. in Petron.
(2) Ad Statium loc. cit.
(3) Ad Petron. loc. cit.
(4) Cap. 119. Satur. v. 19.
(5) In Epitom.
(6) In Vit. c. 7.

exsecti fierent, pretiaque superstitum est moderatus (1). Quamobrem altissimis et frequentibus laudibus a Papinio (2), et Martiali (3) meruit extolli. Quae autem aetas est, in quam querelae illae Petronii, obsceni licet et impudici hominis, cadere convenientius possunt, quam Neroniana? Nota sunt Neronis, et coaevorum matrimonia (4), quae ipsis mangonibus horrori esse debebant, quaeque fortasse verbis illis notavit Petronius: *quaerit se natura nec invenit*. Non inficior et Iuvenalem (5) flagitium simile perstrinxisse; sed is luculenter etiam indicavit et rarum et infrequens tum fuisse, et veluti quoddam monstrum et prodigium: quae numquam certe frequentia et crebra esse possunt: Unde sic scribit:

O Proceres, Censore opus est, an Haruspice nobis?
Scilicet horreres maioraque monstra putares,
Si mulier vitulum, vel si bos ederet agnum?

Petronius contra perspicue ostendit malam pestem tum fuisse maxime dilatatam, et omnium animos occupasse. Scio porro: tempora quae Pharsalicum bellum proxime praecesserunt specie Petronium attingere, sed quis non videt aetatis suae mores potissimum reprehendendos et exagitandos eo Specimine sibi sumsisse? Haud profecto Pompeii, Caesaris, Ciceronis, Catonis, Bruti, Cassii tempore ita corrupti erant Romanorum mores, quemadmodum a Petronio ibi exhibentur. Quin is praeter cetera scribit (6):

R *Fu-*

(1) V. Sveton. in vit. c. 7. Xiphil. ex Dion. in Domit. D. Hieronym. in Chronic.
(2) V. Libr. III. Silvar. IV. v. 72. V. III. v. 13. etc.
(3) V. Libr. VI. Epigr. 2. 4. etc.
(4) V. Sveton. in vit. c. 29. Dion. ex Xiphil. loc. cit. Tacit. libr. XV. Annal. c. 37.
(5) Satyr. II. v. 117.
(6) Specim. cit. v. 16.

. . . Furens premit advena classes
Tigris, et auratâ gradiens vectatur in aulâ.

Verum ex Plinio (1) atque ex Svetonio (2) constat ab Augusto primum Romae ad spectaculum in dedicatione Theatri Marcelli tigres fuisse productas: Tum alias conspectas sub Claudio (3), atque ita porro (4). Quae rectissime pervidit Clericus, quum hos versiculos adducens (5) pronuntiavit, notasse iis mores aetatis suae Petronium, aetatis nempe Neronis et Senecae, ut perspicue indicavit, non Diocletiani et Maximiani, ut alibi, quô Burmanno contradiceret autumavit. Quae ergo de exsectis Petronius queritur anteriora Domitiano tempora, et singillatim Neroniana spectare optimo iure dici potest. Nec minimum argumento obest, quod Petronius Cosmiani unguenti meminerit (6), de quo multus est Martialis Domitiano coaevus (7). Martialis enim numquam de Cosmo unguentario tamquam adhuc vivente est locutus, nisi quis eum cum alio Cosmo Poetae amico (8) inepte mallet confundere. Quin potius quum scripserit (9):

Hac licet in gemma, quae servat nomina Cosmi,
Luxuriose, bibas, si foliata sitis:

Haud obscure eum iam esse defunctum demonstravit. Etenim tum nomen et memoria alicuius ser-

(1) Hist. natur. Libr. VIII. c. 17.
(2) In August. c. 43.
(3) Plin. loc. cit.
(4) V. Martial. libr. I. Epigr. 105. VIII. §. 26. XII. 36. etc.
(5) In Art. Critic. Part. II. S. I. cap. 6. par. 5.
(6) In Fragm. p. 80. Edit. Burmann. cit.
(7) Libr. III. Ep. 55. 82. v. 26. VII. 40. XI. 16. 50. XII. 55. 66. etc.
(8) V. Libr. IV. Ep. 53. etc.
(9) Libr. XIV. Ep. 110.

servari dicitur, quum ipse amplius non est. Verum etsi unguentarius Cosmus sub Domitiano vixerit, quidni sub Nerone, et Claudio etiam florere potuit? A nece Neronis ad Domitiani initia vix quatuordecim anni intercesserunt. Ideoque si Cosmus ad postrema Neronis tempora vel quadraginta annos egisset, quae aetas longissima est, ut unguentarius quamdam sibi famam conciliet, vitam ad Traianum usque commodissime producere potuit.

XVI. 10. Sed aliud insuper est argumentum, illudque, ut plane videtur, invictum, quo Petronii aetas ante Domitianum et Titum constituitur. Trimalchionis *Actuarius*, Petronius scribit (1), *tamquam acta Urbis recitavit: VII. Kal. Sextilis in praedio Cumano, quod est Trimalchionis nati sunt pueri XXX, puellae XL . . . Eodem die incendium factum est in* hortis Pompeianis, *ortum ex aedibus Nastae villici. Quid? inquit Trimalchio. Quando mihi* Pompeiani horti *emti sunt? Anno priore, inquit Actuarius, et ideo in rationem nondum venerunt.* Hi autem *horti* ideo *Pompeiani* dicuntur, quod ad Pompeios celebre Campaniae oppidum essent positi (2), ut praedium *Cumanum*, quod esset ad Cumas. Quo plane sensu Vitruvius (3) dixit *Pompeianum pumicem*, Seneca (4) *Pompeianam regionem*, Columella (5) et Plinius (6) *Pompeianam vitem*, et iste iterum *Pompeianam brassicam* (7), *Pompe-*

iana

(1) Cap. 53.
(2) V. Nicol. Heins. ad Petron. loc. cit. Iacob. Martorell. de Reg. Thec. libr. II. p. 709. Nicol. Ignarr. de Palaestr. p. 183.
(3) De Architect. Libr. II. c. 6.
(4) Quaest. natur. libr. VI. c. 27.
(5) De R. Rust. libr. III. c. 2.
(6) Histor. natur. libr. XIV. c. 2.
(7) Libr. XIX. c. 8.

iana vina (1), *Pompeianum municipium* (2), Statius (3) *Pompeianum Sarnum*, et tandem Cicero vel κατ' ἐξοχὴν *Pompeianum*, praedium dixit (4) quod ad Pompeios habebat, ut Cumanum, Formianum, Tusculanum, quae ad Cumas, ad Formias, ad Tusculum sibi erant (5). At quis nescit anno Christi LXXX, Vesuvio monte conflagrato, nec Pompeios amplius extitisse, nec nomen eius amplius celebratum, nec subiectam regionem pristinae formae suae vestigia servasse? Iam quidem ab anno Aerae nostrae LXIII ea Urbs, et quae adiacebant loca terraemotibus gravissime vexari sunt coepta (6): Tum longe gravius paullo ante Montis conflagrationem. *Repente*, scribit ex Dione Xiphilinus (7), *ita graves terraemotus facti, ut et omnis ea planicies fervida esset, et culmina montium subsiderent... Deinde mare simul fremere, omne Coelum unâ sonare, ingensque et repentinus fragor quasi montes simul considerent exaudiri*. Tandem ipso montis incendio et ruinâ tota Urbs, et universus ager per viginti fere quadrata milliaria ad multorum pedum altitudinem lapidibus ignitis, pumicibus, ac cineribus obruta penitus fuit. Nec deinceps ex tanta ruina surrexit, nec alii Pompeii sunt extructi, nec ager amplius Pompeianus audiit: quae omnia invictis argumentis vir doctissimus et illustrissimus

(1) Libr. XIV. c. 6.
(2) Libr. II. c. 51.
(3) I. Silv. II. v. 265.
(4) Libr. VII. ad Famil. Ep. 3. 4. etc. I. ad Attic. Ep. 17. II. Ep. 1. IV. Ep. 9. etc.
(5) V. Epist. ad Attic. libr. I. 2. 7. 12. etc. etc.
(6) V. Senec. Quaest. nat libr. VI. c. 26. Tacit. Annal. XV. c. 22.
(7) In Tito ex version. Leunclav.

mus Carolus Rosinius singillatim ostendit (1). Altum profecto silentium est de Pompeiis post aetatem Titi. Ptolemaeus Alexandrinus Geographorum fere princeps, qui secundo Aerae nostrae seculo florebat, et Campaniam diligenter descripsit, de Pompeiis ne mutit quidem. Idem silentium observare est penes Auctorem Itinerarii, quod Antonino Augusto tribuitur, quodque maxima saltem ex parte infra seculum a Caracalla confectum videtur (2). Atque ex Aurelio Cassiodoro (3) plane luculenter apparet diu ante aetatem suam vel nomen Pompeiani agri intercidisse. Ubi ergo post Titum Pompeiani illi Trimalchionis horti erunt, ubi laeta viridaria, et amena praedia ad Pompeios invenientur? Petronius igitur ante Titi principatum floruit.

XVII. Scio quidem Ioannem Lamium (4), Nicolaum Ignarram (5), F. I. Dutheillium (6), aliosque nonnullos autumasse, quod nulla urbs ex ista Vesuvina conflagratione penitus intercidisset, sed damnum fuisse leve, omniaque statim restituta fuisse ac instaurata. Verum huiusmodi opinio tam absurda est, atque a veritate aliena, ut amore potius novitatis, ingeniique experiundi gratiâ, quam ex animi sententia eam a doctis Viris prolatam fuisse vellem existimare. Quis enim serio id dixerit ubi Papinius Statius (7), Valerius Martialis (8), Plinius

(1) In Differtat. Isagogic. ad Volum. Herculanens. P. I.
(2) Vid. Wesseling. et Hieron. Surit. Praef. in Itinerar.
(3) Variar. libr. IV. Ep. 60.
(4) In Ephem. Florent.
(5) De Phratriis Cap. X. p. 246. etc.
(6) V. Lettre de F. I. G. de la Porte du Theil au C.A.L. Millin dans le Magasin Encyclop. Ann. IX. Tom. 4. p. 145. etc. et Voyage en Italie de Barthelemy etc. par A. Serieys 1801. Lettre XLIX. App. num. IV. p. 289.
(7) Libr. IV. Silv. Carm. 4. v. 81. Carm. 8. v. 5. Libr. V. Carm. 3. v. 104. 208. etc.
(8) Libr. IV. Epigr. 4.

nius Caecilius (1), Plutarchus Cheronensis (2), Cornelius Tacitus (3), M. Aurelius Imperator (4), Septimius Tertullianus (5), Dio Cocceianus (6), Paullus Orosius (7), Flavius Eutropius (8), Divus Hieronymus (9), Pseudo-Sibylla Cumana (10), aliique plures, vel oculati testes, vel spectatae fidei viri, vel docti et graves Historici omnes consensu unanimi tradiderint non paucas Urbes, inter quas singillatim Pompeios recensuerunt, ea atrocissima clade terrâ penitus fuisse sepultas, totam regionem ita vastatam, eversam, et immutatam, ut nemo ullus amplius agnoverit, tantumque exitium factum fuisse, ut posteri vix fidem facto essent praestituri? Praeterea quanta fuerit Pompeiorum calamitas vel inde perspicue arguere possumus, quod urbes et loca sat longius a Vesevo dissita gravissime tum fuissent vexata. Et Neapolis quidem nostra talia damna ex illa conflagratione perpessa est, ut Papinii Statii Pater data opera tristi carmine ea deflere in animo instituisset: Haec Filius in eius Epicedio (11):

Iamque et flere pio Vesvina incendia cantu
Mens erat, et gemitum patriis impendere damnis,
Quum Pater(Iupit.)*exemptum terris ad sidera montem*
Sustulit, et late miseras deiecit in Urbes. Tum

(1) Libr. VI. Epist. 16. et 20.
(2) In Libell. *Cur nunc Pythia non reddat oracula carmine*.
(3) Annal. IV. c. 67.
(4) De Rebus suis libr. IV. c. 48.
(5) De Poenis Cap. ult.
(6) In Epitom. Xiphil. in Tito.
(7) Histor. libr. VII. c. 9.
(8) In Histor. Miscell. Libr. IX. apud Murator. Scriptor. Rer. Italicar. T. I. p. 59.
(9) In Chronic. Eusebian.
(10) V. Orac. Sibyll. lib. IV. v. 127. et Servand. Gallaeum de Sibyll. Cap. VIII. p. 153.
(11) Silvar. V. Carm. 3. v. 205.

Tum Papinius ipse Iulio Menecrati Civi suo ob susceptam prolem gratulatur, quod isto pacto *damna insani Vesevi* (1) solaretur. Tandem in eodem Epicedio Sirenem Parthenopem alloquitur veluti adhuc Vesuvino pulvere obrutam (2):

Exere semirutos subito de pulvere vultus,
Parthenope.

Plinius vero Caecilius de Stabiis loquens, quae aliquot sane milliariis a Pompeiis distabant: *Sed area*, inquit (3), *ex qua dieta adibatur ita iam cinere mixtisque pumicibus oppleta surrexerat, ut si longior in cubiculo mora esset, exitus negaretur.* Tum Miseni tantam cinerum pluviam decidisse narrat, ut ea homines necari et obrui potuissent (4), et paullo post subiicit: *occursabant trepidantibus adhuc oculis mutata omnia, altoque cinere tamquam nive obducta.* Tandem ex Svetonio colligitur harum et aliarum Campaniae Civitatum tanta fuisse damna, totque fuisse ea conflagratione oppressos, ut vel eorum tantummodo, qui absque ullo herede periissent bona ac fortunae restitutioni earum satis potuissent videri (5). Nullo igitur pacto dubitare fas est, quin Pompeii, et Pompeianus ager Titiana Vesuvii conflagratione obruti interciderint.

XVIII. Attamen Nicolaus Ignarra (6) eorum plane immemor, quae alibi diserte scripserat (7), ex ipso Papinio constare contendit nullam Campaniae Urbem ea Vesuvina ruina intercidisse, sed integras omnes florentesque statim stetisse. Haec sane Statius ad Claudiam uxorem scribebat (8):

Non

(1) Silv. V. Carm. 8. v. 5.
(2) Silvar. V. Carm. 3. v. 104.
(3) Libr. VI. Epist. 16.
(4) Loc. cit.
(5) In Tito. Cap. 8.
(6) De Phratr. loc. cit.
(7) De Palaestr. Cap. V. not. 8.
(8) Silvar. III. Carm. 5. v. 72.

Non adeo Vesuvinus apex, et flammea dirî
Montis hiems trepidas exhausit civibus urbes,
Stant, populisque vigent.

At ubinam hîc, aut toto etiam Papinii ad uxorem carmine apparent Pompeii, Herculanum, Stabiae? Nonne Urbes, quas Papinius significat sunt Neapolis, Puteoli, Cumae, Baiae, Capua, Surrentum, quas statim Poeta et singillatim enumerat? Quin immo etsi Papinius nullam Campaniae urbem ea clade obrutam isto carmine innuere voluisset, minime id nos movere deberet. Ibi enim toto conatu incumbit, ut uxori suae, quam unice diligebat, persuaderet, ut sese Neapolim proficiscentem comitari vellet. Ea autem abire Româ nolebat, tristisque admodum eá erat de caussâ, quod Campaniam universam Vesuvina clade vastatam, desertam, civibusque penitus exhaustam existimaret. Quid mirum si maritali adfectui aliquid indulsisset Papinius? Verum ne id quidem vir optimus fecit. Nusquam enim omnes quotquot antea erant Campaniae Urbes stare tum et florere scripsit: Quin contra luculentissime prorsus ostendit nonnullas iam ex oculis evanuisse. Quum enim Campaniam fere totam curiose lustraret, ut uxorem locorum amoenitate, numero, ac magnitudine Urbium alliceret, nec antrum Sibyllae, nec Misenum, nec Gaurum preteriret, quomodo de Pompeiis, de Herculano, deque ceteris omnibus locis Vesevo subiectis, quae Bacchi et Veneris sedes Martialis appellaverat (1), ne verbum quidem addidisset, si tum florentes extitissent? Si usque Capuam, usque Surrentum, usque Aenariam eâdem de caussâ progreditur, cur urbes celebres, amenas, propinquio-

(1) Libr. IV. Epigr. 44.

quiores praeterisset? Atqui omnino ad propositum suum intererat meminisse, praesertim si paullo ante instauratae fuissent, vel etiam tum florentes veluti ex sepulchro adhuc exsurgerent. Si non meminit, utique non erant; Nec profecto aliud est hoc silentio eloquentius. Quid porro dicemus, ubi animadverterimus quae idem Papinius ad Victorium Marcellum amicum suum aliquot post annis scripserit (1)?

Mira fides! credetne virûm ventura propago,
Quum segetes iterum, quum iam haec deserta virebunt,
Infra urbes, populosque premi, proavitaque toto
Rura abiisse mari?

Et lepidus profecto est Ignarra, quum illa a Viro ad charissimam uxorem dicta ampliori sensu, et plusquam verba sonant mavult interpretari, et haec contra obiter, simpliciter, nullâ ambitione vel gratiâ ad amicum scripta, per hyperbolem, per paradoxum scripta autumat; quod scilicet Statius ad Marcellum scripserit, quum praesentissimum malum mentem confunderet ac perturbaret, ad uxorem vero quum securus esset damni, animique tranquillus (2). Sed absit, ut Scriptores veteres isto pacto interpretari audeamus. Ubinam quaeso in verbis illis ad Marcellum hyperboles est, ubi paradoxum? Quid simplicius, verbisque magis propriis exprimi poterat? Haud ista est paradoxorum lingua, nec tam impudenter Papinius mentitur. Itane porro confirmato iam et securo animo ad Claudiam, perturbato vero et perterrefacto ob praesens exitium ad Marcellum scribebat Papinius? Atqui carmen ad Claudiam scriptum est aliquamdiu ante carmen ad Marcellum. Notum est enim

S Pa-

(1) IV. Silv. Carm. 4. v. 81.
(2) De Phratr. Cap. X. p. 225.

Papinium singillatim et servato temporum ordine Silvarum suarum libellos edidisse; et carmen ad Claudiam in tertio, carmen vero ad Marcellum in quarto collocatum invenitur. Tum ad Claudiam scribit Poeta antequam Neapolim peteret, ad Marcellum vero, quum iam ibi maneret: nec suspicioni locus est id in alio itinere factum fuisse. Praeterea, quandocumque tandem ad Claudiam Papinius scripserit, non praesenti adhuc clade, non aliquot post mensibus, non uno etiam alterove a conflagratione anno carmen ad Marcellum composuit, sed omnino quindecim bene post annis. In eo enim de Domitianâ viâ meminit (1), quae nonnisi Imperatore decimumseptimum Consule sterni coepit (2): Nec denique carmen ullum magis tranquillo, magis securo, et pacato animo conscribi potuit. Haec sane Poeta inter cetera (3):

. . . . Nos otia vitae
Solamur cantu, ventosaque gaudia famae
Quaerimus. En egomet somnum et geniale secutus
Littus, ubi Ausonio se condidit hospita portu
Parthenope, tenues ignavo pollice chordas
Pulso, Maroneique sedens in margine Templi,
Sumo animum, et magni tumulis adcanto Magistri.

XIX. Urgent praeterea maxime testimonium Peutingerianae Tabulae, qua Pompeiorum, Herculanei, Stabiarum nomina occurrunt, etsi ea omnino post tertium Aerae nostrae seculum descripta fuisset (4). Verum id est levissimum. Quod enim tanto Scriptorum consensu, aliisque pluribus argumentis evincitur, tam tenui, ambiguo, obscu-

ro-

(1) Vers. 2.
(2) V. Xiphil. ex Dion. Tillemont. Hist. des Emper. Domit. ann. 95. de I. C. etc.
(3) Vers. 49.
(4) V. Scheyb. Differt. de Peuting. Tab.

roque testimonio nullo pacto potest everti. Quod si secus foret, de universâ fere Historiâ conclamatum esset, quum haud pauca sint ab imperitis, ineptis, improbisve Scriptoribus corrupta, confusa, et mentita. Praeterea quamvis ista Tabula magni certe sit pretii, plurimis vero, iisque gravissimis scatet erroribus, et summa diligentia solertiaque opus est, ut aliquid ex ea ut plane certum exploratumque constituatur (1). Nec est profecto qui eâ aliquo studio excussâ non viderit multas singillatim urbes et oppida adnotari, quae iam ea aetate deleta fuerant, vel iam evanuerant. Quidni inter istas Pompeii? Tertio: Anonymo Geographo Ravennati, utpote qui ante octavum nonumque seculum non floruisset (2), nulla habetur fides quod de Pompeiis, Herculaneo, Stabiis tamquam adhuc aetate sua omnino manentibus meminerit (3), cur, cedo Tabulae habebitur, cuius testimonium longe minus perspicuum est, et ut ita dicam surdum est et obscurum? Et si ea urbium nomina ex vetustis Tabulis vel Geographis Depromenda fuerunt Anonymo, quidni Tabulae Descriptores eâdem uti potuerunt ratione? Quin id reapse factum doctus vir Franciscus Scheybius Tabulae editor pluribus argumentis suasit (4). Tandem quidquid etiam de Pompeiorum duratione comminisci velint, dubitari non potest quin Peutingeriana Tabula post eius Urbis calamitatem descripta fuerit. Pompeios enim sub finem quinti seculi iam terra obrutos plane eva-

(1) V. M. Buache Obſervat. ſur la Carte Itinerar. etc. dans les Memoir. de l'Inſtit. Nation. etc. Scienc. moral. et Polit. T. V. p. 53.
(2) V. Fabric. Bibl. Latin. Libr. II. c. 8. Sax. Onom. Litt. ad ann. 1004.
(3) Libr. IV. c. 34.
(4) Diſſertat. de Peutinger. Tabul. Cap. II. etc.

evanuisse exploratum est inter omnes. Atqui Tabula, ut modo eam habemus, istâ aetate est plane inferior. Nam characteres Longobardici sunt, universaque scripturae ratio corrupta et barbara. Quod si exemplar vetustioris Tabulae statuas, nos usque ad exemplaria primi Aerae nostrae seculi ascendere possumus. Tum pluribus et luculentis argumentis idem Scheybius ostendit (1): eam ante seculi quarti finem haudquaquam fuisse descriptam. Atqui per quintum seculum nulla Vesuvii conflagratio facta est, qua quaedam Campaniae oppida penitus obruerentur. Putat quidem Ignarra (2), et cum eo Dutheillius (3) Herculanum et Pompeios ea conflagratione terrâ sepultos, quae facta est anno Christi 471, seu potius 472 (4), Anthemio et Zenone Imperatoribus: Sed nullis id argumentis suaderi potest. Marcellinus quidem Comes (5), et Procopius Caesareensis (6) de quadam conflagratione circa eum annum facta meminerunt, sed nusquam ne oppidulum quidem obrutum, eversumque dixerunt. Credibilene est, si illae Urbes tum ruinâ montis fuissent sepultae neque eos ipsos, neque alios Scriptores meminisse? Quin Procopius (7) satis etiam perspicue innuit ea conflagratione oppida Vesevo vicina haud potuisse obrui, quum cineres tum in remotas terras fuissent a ventis delati. Tandem si Herculaneum et Pompeii sub finem quinti tantummodo seculi terrâ fuissent sepulti, quì fieri potuit, ut quum essent toti fere

iam

(1) Loc. cit.
(2) Loc. cit.
(3) Magasin. etc.
(4) V. Ant. Pagium ad Baron. Annal. ann. 471.
(5) In Chronic. ad Consul. Marcian. et Fest.
(6) Libr. II. Bell. Gothic. c. 4.
(7) Loc. cit.

iam detecti, et effossi, ex innumeris monumentis, quae continebant, ne unum quidem inventum sit, quod aetatem Titianâ inferiorem argueret? Dutheillio (1) Latina inscriptio ad Nonii statuam apposita convenire visa est Adriani aevo. Sed quid tum? Primum oportebat, ut nos doceret Dutheillius, quid istud esset, quod scripturam Titiani aevi a scriptura Adrianeae aetatis ibi secerneret. Vulgo enim apud nos ignoratur: Virique multi palaeographiae callentissimi tenent nullo pacto eam inscriptionem aevum Vespasianorum mentiri. Tum animadvertendum erat, quod qui inscriptiones ponere sub Adriano potuerat, potuerat etiam sub Tito: Quum a postremo Titi anno ad primum Adriani vix sex supra triginta anni intercessissent. Quoniam autem in effossis oppidis nil offenditur, quod aetatem Titiana inferiorem arguat, invictê prorsus evincitur eas Titianâ Vesuvii conflagratione fuisse obrutas. Etenim quum ex humanae naturae necessitate, naturalique humanarum rerum ordine, quae mores et instituta spectant, cum ipsis moribus et institutis immutentur, et Itali Romani Imperii ruinâ, Christianae Religionis susceptione, adventu et occupatione Barbarorum alii facti essent, ac primo seculo erant, si obrutarum urbium monumenta omnia non tertii, quarti, quintive seculi statum, sed Titi et superiorum Imperatorum aetatem produnt, necessariâ omnino evidentiâ colligitur tum fuisse terrâ sepultas, nec amplius deinceps fuisse effossas, nec colonos recepisse. Inter historicas igitur veritates est accensendum, quod Pompeii et universus ager adiacens ad plurimos pedes ex Titiana Vesuvii conflagratione obruti fuerint, nec ha-

(1) Loc. cit.

habitatoribus deinceps sint frequentati (1): Et propterea ex Pompeianis illis Petronii hortis invicte argui ante Titi principatum Petronium floruisse.

XX. 11. Petronius insuper sic loquentem Encolpium inducit (2): *Notavimus etiam*, inquit, *res novas. Nam duo spadones in diversa parte circuli stabant, quorum alter matellam tenebat argenteam, alter numerabat pilas, non quidem eas, quae inter manus lusu expellente vibrabant, sed eas quae in terram decidebant. Quum has miraremur lautitias .... Trimalchio, lautissimus homo digitos concrepuit, ad quod signum matellam spado ludenti supposuit*. Is ergo mos si ut novus, si ut plane insolitus narratur per Petronii aevum omnino primum celebrari oportuit. Atqui quum florebat Martialis iam tritus et vulgaris erat. Is enim de quodam potore loquens scribit (3):

Quum peteret seram mediâ iam nocte matellam,
Arguto madidus pollice Panaretus.

Tum de ipsa matella (4):

Dum poscor crepitu digitorum, et verna moratur,
O quoties pellex culcita facta mea est.

Et tandem de Malchione (5):

Digiti crepantis signa novit Eunuchus:
Et delicatae sciscitator urinae,
Domini bibentis ebrium regit penem.

Ideoque si ponitur ipso Martiali puero huiusmodi morem fuisse primum receptum, iam in Neronis aetatem incidimus, quae propterea est ipsa Petronii aetas. 12. Sed haec insuper Petronianus Encolpius,

(1) Vid. et. Differt. Isagog. in volum. Hercul. cit.
(2) Cap. 27.
(3) Libr. VI. Epigr. 89.
(4) Libr. XIV. Ep. 119.
(5) Libr. III. Ep. 82. v. 14.

pius, qui vel Romanus fingitur, vel Romanas delicias novisse dicitur (1): *Interposito*, ait (2), *deinde spatio, quum secundas mensas Trimalchio iussisset afferri, sustulerunt servi omnes mensas, et alias attulerunt, scobemque croco et minio tinctam sparserunt, et quod numquam antea videram ex lapide speculari pulverem tritum*. Quamobrem patet primum pariter aetate Petronii lapidis specularis pulverem sterni coeptum. Id autem primum circa Neronis principatum factum revera videtur. Plinius enim in sua naturali Historia haec scribit (3): *Invenere lapides speculares et alium usum in ramentis quoque, Circum maximum ludis Circensibus sternendi, ut sit in commendatione candor*. Nec huiusmodi moris institutio Claudii principatum antecedere potuit. Nam Petronius ante Tiberium, ut vidimus (4) non floruit, et iste Imperator non modo a ludis muneribusque edendis semper abhorruit, sed et ludorum qui ab aliis ederentur impensas sumtusque corripuit, et temperavit (5). Caius quidem spectaculis indulsit, sed Svetonius, qui de ludis ab eo editis meminit, et singillatim de minio et chrysocolla, quibus Circus constratus fuit (6), de speculari lapide, quod secus omnino fecisset, verbum non addidit: Sub Claudio ergo, vel potius sub Nerone, qui ludos sumtuosissimos, et quasque delicias ad insaniam usque amavit lapis specularis tritus in Circo substerni coeptus est, et inde etiam in Tricliniis. Sub Claudio igitur et sub Nerone Petronius vivebat. 13. Tandem idem En-

(1) Cap. 69.
(2) Cap. 68.
(3) Libr. XXXVI. c. 22.
(4) §. I.
(5) V. Sveton. in vit. c. 34.
(6) In vit. cap. 18.

Encolpius. *Pudet*, inquit (1), *referre, quae sequuntur: Inaudito enim more pueri capillati attulerunt unguentum in argenteâ pelvi, pedesque recumbentium unxerunt, quum antea crura, pedesque, talosque corollis vinxissent*. Is autem mos Aegyptiis quidem, Syris, Graecisque iam pridem usurpatus fuerat (2), Romanis vero ad Neronem usque omnino ignotus fuit. Eum enim Otho Sylvius Neronis familiarissimus (3) isti Imperatori omnium primus indicavit. *Vidimus etiam*, ait Plinius (4), *vestigia pedum unguentis tingi, quod Othonem monstrasse Principi Neroni ferebant*. Ideoque quum quinto Neronis anno Lusitaniae Provinciae Otho praefectus fuisset, nec umquam Romam nisi Nerone necato ad captandum Principatum regressus fuisset (5), quumque Petronius eum morem post diuturnum ab institutione tempus nullo pacto *inauditum* ac insolens appellare potuisset, perspicue consequitur paucis tantummodo annis post Neronis quintum Petronianam Saturam scribi debuisse.

XXI. 14. Et re quidem vera gravi certe ratione coniicitur, partem saltem quamdam Saturae circa decimum Neronis annum fuisse conscriptam. Petronius sub personâ Eumolpi, quem professione Poetam fingit, de ratione scribendi carminis, deque Epici poematis natura praesertim disserens, Lucanum evidentissime spectavit, Specimenque Belli civilis, ut Pharsaliae quodammodo opponeret subiunxit. *Multos*, inquit (6), *o Iuvenes, carmen de-*

(1) Cap. 70.
(2) V. Athenaeum Deipnosoph. Libr. XIII. c. 8. et XV. c. 11. 12.
(3) V. Tacit. Annal. XIII. c. 11. Sveton. in Othon. c. 3.
(4) Libr. XIII. c. 3.
(5) Tacit. et Sveton. locis cit.
(6) Cap. 118.

decepit; nam ut quisque versum pedibus instruxit, sensumque teneriorem verborum ambitu intexuit, putavit se continuo in Heliconem venisse . . . . Ceterum neque generosior spiritus vanitatem amat, neque concipere aut edere partum mens potest, nisi ingenti flumine literarum inundata . . . . Praeterea curandum est ne sententiae emineant extra corpus orationis expressae, sed intexto versibus colore niteant. Homerus testis, et Lyrici, Romanusque Virgilius, et Horatii curiosa felicitas. Ceteri enim aut non viderunt viam, qua iretur ad carmen, aut visam timuerunt calcare. Ecce Belli civilis ingens opus quisquis attigerit, nisi plenus literis, sub onere labetur. Non enim res gestae versibus comprehendendae sunt, quod longe melius Historici faciunt, sed per ambages, Deorumque ministeria, et fabulosum sententiarum tormentum praecipitandus est liber spiritus, ut potius furentis animi vaticinatio appareat, quam religiosae orationis sub testibus fides. Quis autem ex hisce characteribus Lucani opus non agnoverit? Quibusnam, cedo, coloribus Pharsalia exprimi evidentius poterat? Nonne de isto opere Romanorum quidam Martialis aetate (1), tum Quintilianus (2), Servius (3), Iornandes (4), Isidorus (5), Ioannes Sarisberiensis (6), Ger. Vossius (7), aliique plures iudicium pertulerunt? Atqui haec nisi nuper adgressâ, vel nuperrime absolutâ Pharsaliâ scribi a Petronio non potuisse videntur. Quid enim spe-

(1) V. Martial. Libr. XIV. Ep. 194.
(2) Libr. X. Inst. c. 1.
(3) Ad Virgil. Aen. I. v. 386.
(4) In Histor. Gothor.
(5) Libr. VIII. Orig. c. 7.
(6) In Policrat. Libr. II. c. 19.
(7) De Histor. Latin. Lib. I. c. 26. et de Poet. Lat. c. 2.

speciosi et novi, quamque singularitatem Specimen illud praesetulisset, si post longam annorum seriem editum fuisset? Quid gratiae, quaeso, mutilum et abruptum tentamen iniisset, quidve caussae rationisve adesse poterat, ut aliquot versus subito mentis calore effusi integro et absoluto poemati, vulgatissimae iam et celeberrimae Pharsaliae opponerentur? Praeterea illa verba; *Ecce ingens opus, qui adtigerit, nisi plenus literis sub onere labetur:* rem omnino recentem, et praesentem potius, quin omnino ne perfectam quidem adhuc et absolutam videntur ostendere: Nec profecto temere Stephanus Claverius (1), et Iacobus Palmerius (2) coniecerunt impulsu ipsius Neronis, qui Lucanum difficilis ingenii iuvenem (3) oderat, Petronium incitatum, ut Poëtae famam exagitaret. Lucanus autem anno Neronis undecimo extinctus est (4), absolutâ iam Pharsaliâ, et per Urbem recitatâ (5), quam adgressus fuerat circa sextum istius Imperatoris annum. Ideoque quum sensim eam paullatimque ex Poëtarum more per Urbem recitasset, mature Petronio innotescere potuit, et propterea Saturae pars, quod dicebamus, circa decimum Neronis annum conscribi potuit.

XXII. 15. Tandem Petronius noster ille ipse Petronius videtur, qui duodecimo Neronis anno, huius Imperatoris iussu necatus fuit. Cornelius Tacitus haec potissimum de eo in Annalibus retulit. *Petronio*, scribit (6), *dies per somnum, nox officiis,* et

(1) Ad Persium Satyr. I.
(2) Apolog. pro Lucano.
(3) V. Sveton. in Vita.
(4) V. Tacit. Annal. XV. c. 70.
(5) V. Sveton. in vit. Lucan.
(6) Libr. XVI. c. 18.

et oblectamentis vitae transigebatur. Utque alios industria, ita hunc ignavia ad famam protulerat, habebaturque non ganeo et profligator, ut plerique sua haurientium, sed erudito luxu. Ac dicta, factaque eius quanto solutiora, et quamdam sui negligentiam praeferentia, tanto gratius in speciem simplicitatis accipiebantur. Proconsul tamen Bithyniae, et mox Consul vigentem se ac parem negotiis ostendit. Dein revolutus ad vitia, seu vitiorum imitationem, inter paucos familiarium Neroni adsumtus est elegantiae ARBITER, *dum nihil amoenum et molle affluentia putat, nisi quod ei Petronius adprobavisset....* (1) Cumis iussu Neronis detentus *non tulit ultra timoris aut spei moras, neque tamen praeceps vitam expulit, sed incisas venas, ut libitum obligatas, aperire rursum et alloqui amicos non per seria, aut quibus constantiae gloriam peteret: audiebatque referentes, nihil de immortalitate animae, et Sapientium placitis, sed levia carmina et faciles versus. Servorum alios largitione, quosdam verberibus affecit. Iniit et vias, somno indulsit, ut quamquam coacta mors fortuitae similis esset.* Haec autem satis perspicue, ut arbitror, Petronium Taciti auctorem Saturae, seu Satyricôn, ut vocant, ostendunt. Nam primum 1. dicitur etiam *Arbiter*, et ita quidem, ut vox ad cognominis speciem et proprietatem usurpata videatur. Nec Petronio nostro nisi ob quamdam etiam iudicii praestantiam, et *arbitrii* elegantiam *Arbitri* cognomen haerere potuit. Et quae opportunior occasio ad cognominis ortum quam Neronianae elegantiae *Arbitrum* praedicari? Ex plurimis autem Petroniis, quorum sive per Historicos, et Inscriptiones memoria ad nos per-ve-

(1) Cap. 19.

venit (1), sive quorum scripta etiam aliqua superfuerunt (2), nemo ullus omnino praeter nostrum dictus est *Arbiter*, cuius cognominis potestas ea est, ut incredibile videatur duobus Petroniis aetate, et moribus diversis potuisse ex aequo adtribui. Duguerlius quidem (3) putat istam nominum germanitatem hîc frustra adduci. Nam Petronius de quo Tacitus loquitur, est *Caius Petronius Turpilianus*, Saturae vero Auctor *Titus Petronius Arbiter*. Sed nolim id Duguerlio excidisse. Nam qui leviter tantummodo Tacitum evolvit vidit profecto Neronianum Petronium alium prorsus esse a Turpiliano. Is enim Legatus quidem in Britannia fuit, eodem Tacito teste (4), non ut ille in Bythinia Proconsul, non sub Nerone necatus est, sed sub Galba (5). Quum porro Duguerlius ait unum Petronium Turpilianum Consulatum sub Nerone iniisse, ignorare videtur ex Consulibus alios ordinarios fuisse, quorum nomina in Fastis inscribebantur, alios suffectos, qui ea tempestate erant plurimi, ita ut ipsi Turpiliano unus vel alter suffectus fuerit (6). At Petronius, de quo Tacitus, est Caius. Scilicet, sic in libris Taciti legitur. Verum quidni Tacitus labi memoriâ potuit in praenomine, quod vix quandoque tum usurpabatur? Quidni Amanuensis error fuit? Quidni T ex anteriori parte detritum formam C in veteribus MSS. exhibuit? Ete-

(1) V. Fulv. Ursin. de Famil. Roman. etc.
(2) V. Fragment. Petronior. ad edit. Arbitr. a Dousa, Hadrianid. Burmann. etc. curat.
(3) Maras. Encycl. Tom. XXII. p. 204.
(4) Ann. XIV. c. 39.
(5) Tacit. Hist. l. c. 6. Vide et XV. Ann. c. 73.
(6) V. Almelov. Fast. Consul. ad an. 813. Urb.

Etenim tum Plinii (1), tum Plutarchi (2) auctoritate certum est Neroniano Petronio Titi non Caii praenomen fuisse. Quidni ergo *Titum Petronium Arbitrum* ipsum habebimus ac *Titum Petronium* elegantiae *Arbitrum*? 2. Indoles praeterea et ingenium Auctoris Saturae non simillimum modo est Petronii Neroniani ingenio, sed quum naturae sit plane singularis, nisi uni illi, haud facile alteri convenire tam commode potuit. Auctor Saturae inter bona ac mala aeque divisus est et occupatus: modo seria ac gravia adgreditur, modo levia, ridicula, inepta: modo ad libidines et impudicissima flagitia ruit, modo severas artes exponit, et Sapientiae praecepta tradit: In eruditione totus, in obscenitatibus totus, quum in uno est, ad alia properare non adfectat, nec quum discedit, aegre discedit. Nonne eadem plane tu de Neroniano Petronio dixeris? Luxu quidem is et otio diffluit, sed studiis liberalibus se erudit; dictorumque sollertià ita excellit, ut ea per Urbem circumferantur: Modo molliter et delicate vivit, modo tamen Bithyniae Proconsul, et Romae Consul temperantiâ, vigilantiá, et sedulitate, ut aequum erat, gravibus sese negotiis parem et vigentem ostendit: Modo levibus carminibus et facilibus versibus indulget, sed sapientiae placita antea noverat: Modo verbera infligit, modo dona largitur: vitam non odit, nec praeceps expellit, sed nec amat cupide, nec tueri multum laborat. Quid porro si ipsa obscenitas eadem in utroque videatur? Petronius Taciti mollis quidem et lascivus homo est, in voluptatibus tamen elegantiam, et quemdam eru-di-

(1) Libr. XXXVII. c. 2.
(2) In lib. *Quomodo amicus ab adulatore discernatur*.

ditum cultum probat. Noster autem mollis etiam est et lascivus, sed non modo ab illis infandis, turpissimisque flagitiis abstinet, in quibus Martialis et Catullus potissimum sunt plurimi, sed etiam ab omni scurrilitate et obscenitate verborum abhorret, ita ut impurae illae libidines nullo pacto maiore cum dignitate, et honestate, si ita loqui fas est, describi possint.

XXIII. 3. Uterque porro de morte, deque futurâ hominum conditione idem plane sentiunt. Ex Tacito Neroniani Petronii opiniones nullo negotio colliguntur, eumque Epicureorum placitis nomen dedisse in perspicuo est. Videamus autem modo, quae Saturae Auctor senserit. Is igitur Eumolpum suum haec dicentem inducit (1): *Ego sic semper et ubique vixi, ut ultimam quamque lucem tamquam non redituram consumerem.* Tum eumdem Poetam in horrendo naufragio, perinde ac domi securum, versiculosque pacatissime conscribentem fingit. *Peragit interim*, ait Encolpius (2), *tempestas mandata fatorum, omnesque reliquias navis expugnat. Non arbor erat relicta, non gubernacula, non funis, aut remus, sed quasi rudis atque infecta materies ibat cum fluctibus . . . .* (3). *In ea tamen invenimus Eumolpum sedentem, membranaeque ingenti versus ingerentem. Mirati ergo quod illi vacaret in vicinia mortis poëma facere, extraximus clamantem, iubemusque bonam habere mentem. At ille interpellatus excanduit, et sinite me, inquit, sententiam explere, laborat carmen in fine.* Sed is qui haec narrat Encolpius ratione magis, ut ita di-

(1) Cap. 99.
(2) Cap. 114.
(3) Cap. 115.

dicam, Epicurea sese ad mortem cum impuro socio Gitone comparaverat. *Ecce iam*, ait (1), *ratem fluctus evertet: Ecce iam amplexus amantium iratum dividet mare. Igitur . . . admove oscula, dum licet, et ultimum hoc gaudium fatis properantibus rape. Haec ut ego dixi, Giton vestem deposuit, meaque tunica contectus exseruit ad osculum caput, et ne sic cohaerentes malignior fluctus distraheret, utrumque zonâ circumvenienti praecinxit, et si nihil aliud, certe diutius, inquit, iuncta nos morte feret . . . Patior ego vinculum extremum, et veluti lecto funebri aptatus expecto mortem iam non molestam.* Praeterea Epicurus homo divinus dicitur (2), et *pater veri*, quod voluptates probaverit, et voluptuosam vitam esse Deorum praedicaverit.

Ipse pater veri doctus Epicurus in arte
Iussit, et hanc vitam dixit habere Deos (3).

4. Dicta insuper factaque Neroniani Petronii soluta, *simplicia*, negligentia nonne simillima dices dictis, factisque quae in Satura occurrunt? Ipse Auctor cecinit (4):

Quid me spectatis constricta fronte Catones,
Damnatisque novae simplicitatis *opus*?

Et si dicta Neroniani Petronii per Urbem passim usurpabantur, vidimus superius (5) Romae Martialem et Papinium nonnulla dicta ex Saturâ fuisse mutuatos. 5. Tandem eo etiam ex capite Petronius Taciti Auctor Saturae arguitur, quod constet simillimum opus ab eo fuisse conscriptum. Haec Tacitus (6): *Ne codicillis quidem, quod plerique pereuntium, Neronem, aut Tigellinum, aut quem alium* po-

(1) Cap. 114.
(2) Cap. 104.
(3) Cap. 132.
(4) Cap. cit.
(5) §. XIII.
(6) Libr. XVI. c. 19.

potentium adulatus est, sed flagitia Principis sub nominibus exoletorum, feminarumque, et novitate cuiusque stupri perscripsit, atque obsignata misit Neroni. Quis autem non videt eamdem fere esse utriusque operis rationem, et ingenium certe simillimum? Fierine potuit, ut Petronius Taciti rem arduam, difficilem, quae multum dubio procul solertiae, ingenii, artisque postularet, tanta celeritate, tantaque temporum iniquitate scripsisset, ni iam pridem in simili scripturae genere sese probe exercuisset? Quid autem potius praecedere potuit quam Satura? Quid satius existimare, quam Codicillos ad eius imaginem fuisse conscriptos? Equidem hic si causae non veritati studerem, innumerabilium paene doctorum Virorum auctoritate uti possem, qui omnes uno ore contenderunt istos Codicillos non similes modo Saturae fuisse, sed ipsam plane Saturam extitisse. Verum id falsum puto (1): Neque id praedicare vereor, quum evidens sit nihil prorsus detrimenti caussam nostram inde posse capere.

XXIV. Inquient fortasse nonnulli: Sed si Codicilli alii fuerunt a Saturâ, vel Satura ad Neronianum Petronium spectat, cur Tacitus de eâ non meminit? Quaestio levis. Nam primum Scriptorum silentium nullius fere est ponderis. Tum Tacitus haud omnia facta scriptaque Petronii narrare instituit, sed praecipua tantummodo vitae capita. Is praeterea Historicus nimis pressus est, et brevis: Numquam fere divertit, propositumque suum strictim persequitur. Ita profecto si de Senecae ac Lucani scriptis ea tantummodo noverimus, quae Ta-

(1) V. Burmann. Praef. ad Petron. suum. Voltair. Melang. Histor. Tom. I. Cap. 14. etc.

Tacitus de viris illis loquens ; refert ; vix pauca quaedam eos conscripsisse comperissemus. Et de Seneca quidem eorum solummodo scriptorum meminit, quae morti proximus dictavit (1) ; de Lucano vero etiam minus . Nam quum retulisset quosdam eum versiculos mortis suae generi congruentes recitasse , nec Pharsaliam , ex qua desumti videntur (2), nec aliud quodvis Poema adduxit . *Recordatus*, scribit (3) , *carmen a se compositum , quo vulneratum militem per eiusmodi mortis imaginem obiisse tradiderat versus ipsos retulit, eaque illi suprema vox fuit*. Quin animadvertendum ducerem an verbis illis ; *Revolutus in vitia , aut vitiorum imitationem*: Satura nostra possit indicari . Quid enim sibi vult ista vitiorum imitatio , et quomodo ab ipsis vitiis secernitur ? Vitia profecto imitantur , et Tacitus de praeteritis loquitur . Quidni sensus Historici est ; Rediit Petronius ad vitia factis dictisque suis , et ea etiam veluti in tabula scriptis expressit et imitatus est ; scilicet non opere modo factisque vitiis indulsit , sed eorum etiam veluti imitationes , imagines , species scribendo et commentando exhibuit ? Istae autem vitiorum imitationes in cenis et libidinibus Saturae luculenter viderentur expressae . Tandem minime est exploratum Saturam Auctore vivo fuisse vulgatam , quemadmodum inferius observabimus (4), ideoque fieri potuit , ut Tacitum huiusmodi opus fugeret , vel abs re ei visum fuerit extra locum mentionem illius iniicere . Inepte igitur Taciti silentium urgeretur .

V XXV. Ne-

(1) Annal. XV. c. 63.
(2) Ex libr. III. v. 635.
(3) Libr. cit. c. 70.
(4) Cap. II. Sect. 2. §. 7.

XXV. Neque demum urgeri potest: haud nempe videri Neronianum Petronium tam mollis et dissolutae vitae hominem Satyras potuisse conscribere. Nam primum nihil obstat, quin solutiores Scriptores gravia nonnumquam et severa attingant, ut Sallustius (1), Ovidius, aliique plures. Praeterea, quamvis in Arbitri Satyricis, ut vocant, nonnulla appareant graviter et severe scripta, plura tamen sunt improba vel ridicula, quae nisi ab impuro et petulanti homine scribi non potuerint. Tertio Petronii opus haud eius conditionis *Satyra* est, quam Lucilius, Horatius, Persius, Iuvenalis celebrarunt, sed aliud plane ac diversum scripturae genus. Nam pauca admodum arguit, et foedissimas libidines, aliaque multa flagitia tam longe est ut insectetur, ut lubentissime potius ea complectatur, consulto in eis exspatietur, Deorumque vitam in eis collocet. Tum impune vel potius feliciter sacrilegia cedere facit, impune furta, et alia quaeque scelera, nec veretur impuros quosdam errones per fraudes dolosque ad magnas divitias et dignitatem evehere. Si id est vitium insectari et persequi, quidnam, cedo, est vel suadere vel ferre? Quae si animadvertissent, qui de Petronio scripserunt haudquaquam tanto hiatu, tamque inepte quaesiissent, quae singillatim vitia arguisset Petronius, quasve Personas sibi exagitandas in Fabulâ suâ sumsisset. Neque Petrus Burmannus eo etiam impudentiae devenisset, ut Petronium *sanctissimum virum* appellaret (2), pudicitiaeque potissimum vindicem, unde a Ioanne Clerico (3) et a Hiero-

(1) V. Lactant. II. Div. Inst. c. 13.
(2) Praef. ad Petron. suum.
(3) Biblioth. Chois. Tom. XIX. Art. 9. p. 351.

ronymo Tiraboschio (1) summo iure meruit reprehendi. Quin ecce ut Paganus homo Petronii libellos morum emendatores, pudicitiaeque custodes Satyras existimaverit. *Quaedam Fabulae*, Macrobius ait (2), *auditum mulcent velut Comoediae, quales Menander, eiusve imitatores agendas dederunt, vel argumenta fictis casibus amatorum referta, quibus vel multum se Arbiter exercuit . . . Hoc totum Fabularum genus, quod solas aurium delicias profitetur e sacrario suo in nutricum cunas Sapientiae tractatus eliminat*. At Petronii opus est *Satura*; non *Satyra*, scripturae nempe genus, quo prorsa oratio carminibus, seria iocis, severa ridiculis, obscena pudicis ad mulciendas et detinendas varietate aures sunt passim immixta (3). Omnino enim haec ipsa in Petronio inveniuntur, nec Saturae nomine eius libellum appellare dubitarunt Viri eruditissimi Iosephus Scaliger (4), Isaacus Casaubonus (5), Franciscus Voltairius (6), aliique complures, quod nos imitandum duximus, non quod putemus *Satyram* vel *Satyrica* hoc sensu sumi non posse, sed quod omnes fere modo praeoccupati *Satyrae* nomine Horatianam *Satyram*, non Varronianam *Saturam* cogitamus. Perfectum Saturae exemplum, eo pacto quo a Varrone, aliisque Veteribus usurpatum fuerat, praeter nostri Auctoris fragmen-

* ta,

(1) Letteratur. Ital. Tom. II. libr. I. c. 2. §. 16.
(2) In Somnium Scipion. Libr. I. c. 2.
(3) V. Horat. II. Epist. I. v. 145. Quintil. Libr. X. c. 1. Diomed. Grammat. III. c. 4. M. Dacier Discours sur la Satyre Tom. II. Memoir. de l'Acad. des Inscript. Duclos des Ieux sceniqu. des Rom. Tom. XVII. Acad. des Inscr. p. 206. Casaubon. de Satyra etc.
(4) In Manil. lib. V.
(5) De satyr. lib. II. c. 2. et 4.
(6) Loc. cit.

ta, non superfuit. Aliquam tamen eius speciem in Marciani Capellae opere habemus, quod non immerito ipsemet *Saturam* nuncupavit (1):

Tandem senilem, Marciane, Fabulam,
Miscella lusit quam lucernis famine
Satura Pelasgo, dum docere nititur
Artes Creagris vix amicas Atticis.

Teneri igitur rectissime potest Petronium, de quo Tacitus singillatim meminit Saturae Arbitri Auctorem extitisse, huiusque propterea Scriptoris aetatem exploratissimam factam.

(1) Sub fin.

CAPUT II.

In constitutam PETRONII aetatem obiecta dissolvuntur.

SECTIO I.

Praecipuum Cl. Viri Nicolai Ignarrae argumentum refellitur.

I. PEtronii aetate satis commodis, ut arbitror, argumentis constitutâ, operae pretium modo est obiecta diluere, tum profecto ne quid in ea agnoscenda et probanda Lectores remoretur, tum etiam ne ad eam ipsam aetatem magis magisque firmandam totidem fere alia argumenta colligere negligamus, quot, ut ab initio diximus, in eam fuerunt obiecta. Plures quidem docti Viri, quorum nomina superius adduximus (1), extiterunt, qui Petronium longe post Neronis aevum floruisse autumarunt; nemo vero ullus, quod ego quidem sciverim, tantò rerum ac verborum apparatu praestitit, quam Vir eruditissimus et clarissimus Nicolaus Ignarra. Is enim quum Neapolitanae Coloniae initia per Septimii Severi principatum constituere vellet, magnumque de ea re testimonium a Petronio haberi autumaret, in doctissimâ Diatribâ de Neapolitana Palaestra Scriptorem hunc ad ea ipsa tempora adducere summo conatu adlaboravit. Nos igitur ab Ignarra initium ducemus.

II. 1. Gravius autem potiusque docti Viri argumentum ipsis fere suis verbis huiusmodi est (2): Urbs

(1) Pag. CXXI. et CXXII. (2) De Palaestr. p. 217.

Urbs qua Petronius Trimalchionis cenam finxit Neapolis est, eaque ipsius Petronii aetate Romanorum Colonia evasit. Atqui Neapolis evadere Colonia non potuit; nisi Septimii Severi principatu. Nam sub Commodo Neapolis Graeca gymnasia adhuc servabat. Petronius ergo per ea tempora scribere debuit. At haec quotquot sunt, Clarissimi Viri pace dixerim, vel temere vel falso omnia proferuntur. Quidni Neapolis evadere potuit Colonia ante Severum vel Commodum? Quod Graeca esset (1). Egregie. Atqui Tarentum et Rhegium, quas Urbes cum Neapoli veteres Graecorum mores in Italia servasse Strabo scribit (2), Coloniae erant Romanorum (3). Puteoli et Carthago vel secundo seculo Aerae nostrae labente Gymnasia Graecosque agones susceperunt, et interea florentissimae erant Romanorum Coloniae. Nonne ipsa Roma per quatuor fere priora Christi secula Graecis studiis ad insaniam usque indulsit, ut deinceps uberius dicemus? Tum si Neapolis municipii iura ab ipsa lege Iulia recepit, quod ipsemet Ignarra erudite evincit (4), quidni mature etiam Coloniae iura, quae ipsa fere ac illa erant (5) suscipere potuit? Et Mazochius profecto (6), Assemanus maior (7), et ipsemet Ignarra (8), quamvis parum sibi constans, Neapolitanae Coloniae initia sub Domitiano collocarunt; quin nec defuerunt qui Civitatem hanc nostram Coloniae iura sub ipso Augu-

(1) De Palaestr. p. 201. 202.
(2) Libr. VI. p. 253.
(3) Strabo Libr. VI. p. 259. et 281.
(4) De Palaestr. p. 161. etc.
(5) A. Gell. noct. Actic. Libr. XVI. c. 13.
(6) De Cathedr. Neapol. Diatr. III. de Colon. Neapol. p. 283.
(7) De Rebus Neapolit. et Sicul. Tom. IV. cap. 2. §. 13.
(8) De Palaestr. p. 21. etc.

gusto; vel Nerone (1) suscepisse existimarent. Equidem in horum doctorum Virorum opinionem non concesserim, sed quis nescit Neapolitanae Coloniae epocham plane incertam esse et obscuram (2)? Ipsemet Ignarra nullam esse viam ad eam constituendam ratus est, quam Petronii aetatem determinare (3); quam aetatem modo, nescio quanta regularum Dialecticarum observatione, ex incerta illa epocha statuere contendit. Ubinam porro Petronius scribit vel Neapolim, vel Urbem saltem, qua cenam instruit aetate sua factam fuisse Coloniam? Nuspiam profecto. Petronius sane quemdam Hermeron Trimalchionis collibertum sic loquentem inducit (4): *Annis, ait, quadraginta servivi, nemo tamen scit utrum servus essem an liber, et puer capillatus in hanc Coloniam veni, adhuc Basilica non erat facta*: Ubi Ignarra τὸ *Basilica* adiectivum, quod vocant, nomen autumans *Augusta* interpretatur (5), et intra illos quadraginta annos Coloniae conditionem constituit (6). At primum, si vera eius interpretatio est, quomodo non vidit Vir eruditus duo tempora iis verbis constitui, unum videlicet simplicis Coloniae, si ita loqui fas est, et alterum Coloniae Augustae? Nam Hermeros ait se venisse in Coloniam, quae Colonia nondum facta fuisset Augusta. Quis vero primum illud Coloniae tempus constituit, vel etiam ostendit Neapolim evasisse Coloniam Augustam sub Septimio Severo? At quis porro *Basilicam*, *Augustam* in eo potissimum

(1) Fulv. Ursin. de Famil. Roman. etc.
(2) V. Capacc. in Hist. Neapol. libr. I. cap. 8. p. 61.
(3) De Palaestr. p. 182. et 196. etc.
(4) Cap. 57.
(5) Loc. cit. p. 200.
(6) Loc. cit. p. 220.

mum Petronii loco interpretabitur? Quando nam *Basilicum* Romanis *Augustum* fuit, quod Graeci omnino et rectissime Σεβαστον vertebant? Ubinam inter incredibilem veterum monumentorum numerum vel unus numus, vel una inscriptio, vel unus Auctor inventus est, qui de Basilicis istis Coloniis vel levissimam mentionem iniecerit? Vel quomodo illiteratus et rudis Libertus proprio, honesto, ac receptissimo nomine reiecto, invisum, inauditum extraneum usurpasset, quod ne ipsi quidem Imperatores, nec quispiam Romanus Civis usurpabat (1)? Verum quis nescit *Basilicam* genus fuisse magnifici et ampli aedificii, quo publica plerumque negotia, et causae etiam, et alia id genus expediebantur (2)? Nec omnino dubitare fas est, quin Petronius de isto peculiari aedificio loquatur. Rudes profecto et illiterati homines, iis plerumque notant tempora, quae rara et insignia aetate sua fiunt, eaque epochae quaedam habentur, ad quae cetera tempora referunt. Ideoque Basilicae aedificatio rudi illi Colliberto aera quaedam est facta, ad quam annos suos quodammodo computaret. Nec mirum est tam sero, ut videtur, in Colonia Basilicam extructam fuisse. Nam primum, genus hoc aedificii haud passim extruebatur, nec omnes Coloniae eas excitabant. Tum ipsa maxima Roma vix labente sexto ab eius aedificatione seculo primas Basilicas habere coepit. Certe quidem ad annum fere DL adhuc non erant, ut perspicue Livius tradit (3): *Pluribus simul locis circa forum incendium ortum, comprehensa postea privata aedificia, neque enim tum Basilicae erant.* III. Sed

(1) Vid. Appian. Alexandr. Praef. in Libye. Histor. Synes. de Regno. p. 19.

(2) V. Borrich. Antiqu. Urb. fac. Cap. X. §. 4. Pitisc. Lex. Antiqu. Roman. in voc.

(3) Libr. XXXVI. c. 21.

III. Sed ad ipsum argumenti caput accedamus, videamusque pariter an Neapolis nostra habenda revera sit Urbs, qua Trimalchionis cenam Petronius finxit, et ea quam Coloniam dixit. Ait quidem Ignarra, idque operose contendit, aiunt ceteri Scriptores nostri quotquot ea de re locuti sunt, et quidem confidentissime. *Inter omnes*, Ignarra scribit (1), *convenit Urbem ubi cenam Trimalchionis Arbiter apposuerat fuisse Neapolim*. Et Iacobus Martorellius: *Neapoli*, ait (2), *concelebratam Trimalchioneam cenam nemo unus posthac inficiaturus est*. Tum plures invenies, qui Neapolitanis nostris affingere non dubitent, quae de dictis factisque eorum Colonorum Petronius scribit. Quin et Neapolitanam Dialectum in ea Saturae parte agnoscunt, totamque Urbem hanc curiose perlustrantes, ipsum locum cenae, ipsas porticus, arcus, cryptam, forum, ipsumque denique lupanar constituunt (3). Quid vero Petronius? Dicam libere, nihil horum omnino. Nam nullo pacto de Neapoli nostra, ut ii putant, ibi Petronius est locutus. Id quidem haud operose ostendi posset. Verumtamen quum tanta Clarissimorum Virorum obstet auctoritas, patiantur Lectores, ut rem aliquanto latius persequamur, et ea quidem ratione, qua non opinionem tueri, atque utcumque defendere videamur, sed potius ut veritatem, cui uni studemus, nullò partium studio detegamus.

X IV. Quum

(1) De Palaestr. p. 182.
(2) De Reg. Theca. Libr. II. p. 711.
(3) V. Ignarr. loc. cit. pag. 187. 190. 191. 193. 194. Iac. Martorell. loc. cit. I. A. Grimald. Annal. del Regno di Napoli Epoc. I. Tom. 6. ann. Rom. DCCCXVII. Alex. Pellicc. de veter. Eccles. Discipl. Differt. V. §. ult. etc. etc.

IV. Quum Petronianae Coloniae nomen in fragmentis Saturae, quae modo habemus nuspiam appareat, si quid modo veritatis vel probabilitatis historicae ex Petronio erui posse putamus, una tantum via est, qua ea Colonia agnoscatur, si nempe characteres, ut ita dicam, notasque omnes, quibus distinguitur recensuerimus sedulo, et colligamus. Tum enim nullo, ut puto, negotio perspicietur, eam Urbem non esse habendam Petronii Coloniam, cui ii characteres non congruunt, et eam contra fatebimur, si quid id interest, cui notae illae conveniant.

§. I.

Singillatim recensentur notae et characteres, quibus Petroniana Urbs facile discerni et agnosci queat.

I. 1. PRimum Urbs, qua Trimalchionis cenam Petronius instruit, Latini oris fuit, sermonisque omnino Romani. Id illico legentibus patet, et Ignarra quidem non passim modo id fatetur, sed eo progressus est, ut ipsam Colonicae plebis dialectum, ipsamque omnino Civium locutionem expressisse Petronium autumasset (1). Quod ex parte verum. Attamen quoniam Martorellius (2) graecos origine sermones, latinos factos a Romano Scriptore solitâ sibi fiduciâ dixit, nonnulla ex plurimis ad propositum proferemus. Eumolpus igitur praecipua Dramatis persona Poeta est Latinus non Graecus, Specimen Belli Civilis canit, deque Latina, non vero de Grae-

ca

(1) De Palaeſtr. p. 193. et 201. etc.
(2) Loc. cit.

ca Poësi multa et egregia disserit (1). Tum ex aliorum Romanorum Poëtarum more carmina sua per balnea, per porticus, per theatra, per universam tandem Urbem ad populum recitat (2), et quidam Civis eum exorat, ut in amicam, quae sibi faciebat fastum famosum carmen conscriberet (3). Encolpius autem et Agamemnon in Scholâ et Porticu de Romanâ eloquentiâ declamant (4). Tum inscriptiones plures Latinae, adductaeque Romanae Kalendae (5), quae Martorellium torserunt (6). In cenâ vero Trimalchionis est qui nomine proprio *Carpus a carpendo* dicatur: *Vides illum*, scribit Petronius (7), *qui obsonium carpit*? Carpus *vocatur*. *Itaque quotiescumque dicit* Carpe, carpe, *eodem verbo et vocat et imperat*. Praeterea servus quidam initium quinti libri Aeneidos canere incipit, et miscet Atellanicos versus (8). Trimalchio habet duas Bibliothecas latinas (9), de Latinis controversiis cum Agamemnone disputat (10), data opera de Ciceronis et P. Syri praestantia disserit, huiusque versus non paucos recitat (11): Comoedos suos Atellanam facere iubet, et Choraulem Graecum latine cantare (12), et ipse clara voce latinum librum legit (13). Contra vero Homeristae quum triclinium ingressi versibus graecis colloquerentur ex omnium fastidio reiecti sunt (14), deque alio Conviva refertur (15): *apposita ad os manu nescio quid tetrum exsibilavit, quod postea graecum esse adfirmabat*.

(1) Cap. 118. 119. etc.
(2) Capit. 90. 91. 92. etc.
(3) Cap. 96.
(4) Capit. 1. ad 6.
(5) Capit. 28. 30. 71. etc.
(6) De Reg. Thec. p. 708.
(7) Cap. 36.
(8) Cap. 68.
(9) Cap. 48.
(10) Cap. cit.
(11) Cap. 55.
(12) Cap. 53.
(13) Cap. 59.
(14) Cap. cit.
(15) Cap. 64.

bat. Haec profecto ex Graecis Latina fieri non potuerunt. Sed ignoscendus est eruditissimus Martorellius, qui tam leviter, ut ipsemet ingenue fatetur (1) Petronium evolvit, ut Crotoniensem Platanona (2) Neapoli collocaverit (3).

II. 2. Universi praeterea Civium mores Romani sunt, Romanae leges, ac instituta. Apparent in Urbe Aediles, apparent Praetores, apparent Seviri, Lictores, Viatores, Praecones, Fasces, Secures (4). Tum Liberti, Colliberti, Patroni, Centonarii, Legionarii milites, Nuptiae Romanae, Manumissiones, Saturnalia, Lares bullati, Libitinarii, Novendialia sacra, Nudipedalia, et alia id genus (5). Vestes Romanae sunt: Tunicae, praetextae, togae, lacernae, et plura huiusmodi (6). Nec, quod sedulo est observandum, aliquid offenditur, quod graecos mores, graeca studia quaecumque vel leviter arguat. Non ephebia, non gymnasia, non odea, non stadia, non athletae, non agones, non Philosophi, non Phratriae, non cetera similia uspiam conspiciuntur. Neque dixeris haud oblatam Scriptori occasionem, ut de his rebus meminisset. Nam potius plurimus in cena sermo est de puerorum educatione, de ludis et certaminibus, et interea omnia Romana sunt. Quin, quod plane gravius, Graeci spernuntur, et per contemtum, ut universim apud Romanos (7), Graeculi appellantur. Phidias et Apelles

(1) Loc. cit. p. 711. (2) Petron. c. 126.
(3) Martorell. loc. cit. p. 710.
(4) V. Capit. 30. 44. 57. 65. 97. 98. etc.
(5) V. Capit. 26. 42. 43. 45. 60. 65. 71. 77. 88. etc.
(6) V. Cap. 58. 60. 69. 80. etc.
(7) V. Ciceron. in Pison. c. 29. I. Tuscul. c. 35. VII. ad Famil. Ep. 18. Senec. Rhet. Suasor. I. Plin. Caecil. Paneg. c. 13. Iuvenal. Satyr. VIII. v. 78. V. v. 185. Sveton. in Tiber. c. XI. Flor. Libr. IV. c. 2. et 11. c. 7. etc. etc.

les *Graeculi* delirantes (1), *Graeculus* Astrologus (2), literae *Graeculae* (3), apes *Graeculae* (4). Homeristae, ut innuimus, omnium fastidio excipiuntur, et *insolentes* dicuntur. Et tandem quod maximi est ponderis Graeci habentur externi et advenae: *Mathematicus*, ait Trimalchio (5), *venerat in Coloniam nostram Graeculus, Serapion nomine*. Si cives eius Urbis magna saltem ex parte Graeci fuissent nullo pacto eo contemtu de Graeco locutus esset Trimalchio. 3. Tertio Petronii Urbs Colonia Romanorum fuit, ut ex loco quem modo adduximus, et ex aliis pluribus patet (6). Coloniae autem Civitatis Romanae pars erant, quae ad peregrinum locum frequentandum vel tutandum, vel aliis quibusdam de caussis (7) deducebatur. Quamobrem ad Coloniam constituendam deductio omnino requirebatur. Sunt qui novum genus Coloniarum invexerint, quas *Honorarias* appellant, quae scilicet Coloniarum quidem iure regerentur, sed suae et indigenae originis essent (8). Sed toti vetustati nomen illud, ni vehementer fallor, ignotum fuit; nec si memini, ullus Scriptor est vetus, quidquid de Asconio dicant (9), qui perspicue tradiderit, per duo priora saltem Aerae nostrae secula extitisse suae originis Civitates, quae etsi nullos ex Romano populo

(1) Cap. 88.
(2) Cap. 76.
(3) Cap. 46.
(4) Cap. 38.
(5) Cap. 76.
(6) V. Capit. 44. 57. etc.
(7) V. Car. Sigon. de Antiqu. Iur. Ital. Libr. II. c. 2. cum not. Phil. Argelat.
(8) V. Camill. Pellegrin. Apparat. alle Antich. di Capua. Discors. II. cap. 21. Mazoch. Differt. cit. pag. 241. Gibbon Hist. de la Decadenc. etc. de l'Empire Rom. Tom. 1. c. 2. etc.
(9) Ascon. in Oration. Ciceron. in Pison. c. 23.

lo Cives recepissent, solemni tamen titulo, nuncupatas et habitas fuisse Romanas Colonias. Populi enim externae originis, ubi Romanam Civitatem consequebantur, etsi *fundi* omnino fierent, celebratissimo tamen Municipiorum non Coloniarum nomine, ut perspicue praeter ceteros ex Gellio patet (1), appellabantur. Verum quidem est Colonias haud raro appellatas fuisse Municipia, quod iam observarunt Viri plane eruditissimi Ezechiel Spanhemius (2) et Rinaldus Carlius (3). At inde minime deduci potest, quod is malebat, nomina nempe Coloniae et Municipii post Civitatem Italis datam facta fuisse omnino promiscua, ita ut originis suae Municipium, Romanorum Colonia diceretur. Nam Coloniae, vera erant Municipia, huius vocis vi spectatâ, quum unâ cum Romanis quaedam *munera capere* possent, unàque cum municipibus civibus habitarent, qui interdum longe plures erant ac Romani Coloni. Ex quo factum est, mea sententia, ut Cicero Placentiam Romanorum Coloniam Municipium diceret, quod Asconium torsit (4). Tum palam est ex Strabone (5), Plinio (6), Gellio (7), Aristide Rhetore (8), Frontino (9) aliisque innumeris, nec non ex plurimis nummis (10), saltem per priora Aerae nostrae secula, nomen *Coloniae*

(1) Loc. cit.
(2) De praest. et usu Numism. Differt. XIII. p. 601. edit. Amstel. 1717.
(3) Antich. Italich. Part. II. Libr. I. §. XI.
(4) Loc. cit.
(5) Libr. V. et VI. Geogr.
(6) Libr. III. Hist. Nat. c. 3. Libr. IV. c. 20.
(7) Loc. cit.
(8) Tom. I. Orat. in Romam p. 383.
(9) De Colon.
(10) Spanhem. loc. cit. Vaillant. de num. Colon.

niae primam semper veramque suam potestatem et vim obtinuisse. Ideoque tenendum esse omnino videtur Coloniam de qua Petronius loquitur magna saltem ex parte civibus Romanis constitisse: Quod profecto alia plura suadent, vel etiam evincunt. Quomodo enim secus iidem plane universi essent mores, nisi ex Populo Romano ortum duxissent? *Coloniae*, ait Gellius (1), *quasi effigies parvae, simulachraque esse quaedam videntur populi Romani*. Praeterea quidam Augustus *Pater Patriae* religiosâ invocatione dicitur (2), ideoque probabile fit, vel a quodam Caesare partem saltem Colonorum deductam, vel Cives esse Romanae originis. Tertio quum Civis clamaret (3): *Habemus Aedilem trium Caunearum . . . . Quid futurum est, si nec Dii, nec homines, eius Coloniae misereantur*: Sat luculenter innuit Coloniam suam a matre Patriâ, ab Augusto, a Patrono, ceterisque omnibus, quibus cura eius demandata fuerat, videri sibi neglectam, et derelictam. Quarto, quum is ipse Conviva paullo superius dixisset (4). *Hei hei, quotidie peius, haec Colonia retroversus crescit, ut coda vituli*: et Coloniae deductae, utpote quae ad augendam plerumque stirpem deducerentur, unae dici possunt proprie crescere vel decrescere, fit inde Coloniam Petronii non honorariam, quam vocant, sed deductam, si ita loqui fas est, extitisse. Tandem id ipsum evincit numerus ille Libertorum et tam potentium, qui prima Coloniae munera obtinebant, ut Seviratus vel Marmorariis, et recentibus Libertis gratiâ tribueretur (5). Id au-

(1) Loc. cit.
(2) Cap. 60.
(3) Cap. 44.
(4) Cap. cit.
(5) V. Capit. 57. 65. etc.

autem in Coloniis quidem fiebat, ut plane constat (1), quum tenuiores plerumque et Liberti in eas mitterentur, in Municipiis vero minime, in quibus ingenuae multae et nobiles semper erant indigenarum familiae.

III. 4. Singillatim autem erat in Colonia *Forum*, plurimamque Cives operam Forensibus caussis, iurique civili dabant. Agamemnon in Coloniâ Rhetor sic in eos declamabat (2): *Primum enim sicut omnia, spes quoque suas ambitioni donant, deinde quum ad vota properant, cruda adhuc studia in Forum propellunt, et Eloquentiam, qua nihil esse maius confitentur, pueris inducunt adhuc nascentibus.* Et paullo post: *Pueri in scholis ludunt, iuvenes ridentur in Foro.* Conviva autem in cena: *Constitutum*, inquit (3), *habui numquam, nemo mihi in Foro dixit: redde quod debes.* De quodam potente Cive narratur (4): *Quum ageret porro in Foro sic illius vox crescebat tamquam tuba.* Encolpius: *Sed plane iure civili*, ait (5), *dimicandum est, ut si nollet alienam rem reddere ad interdictum veniamus. Mallem tamen*, inquit de filio suo Paterfamilias (6), *aut praeconem, aut Caussidicum, quod illi auferre non possit nisi Orcus. Ideo illi quotidie clamo: Primigeni, crede mihi, quidquid discis, tibi discis. Vides Phileronem Caussidicum, si non didicisset, hodie famem a labris non abigeret. Modo modo collo suo circumferebat ostrea venalia: nunc etiam adversus Norbanum se extendit.* Et paullo su-

(1) V. Reines. Epist. ad Hoffm. et Rupert. I. Grut. Inscr.
(2) Cap. 4.
(3) Cap. 57.
(4) Cap. 44.
(5) Cap. 13.
(6) Cap. 46.

superius: *Emi ego nunc puero aliquot libros rubricatos, quia volo illum ad domus usionem aliquid de iure gustare. Habet haec res panem*. 5. Erat praeterea in Colonia *Curia*, locus nempe consilii publici (1), aedificium, quo Duumviri, Decuriones, Ordo seu Senatus Coloniae ad publicas res pertractandas coibat. *Memini Safinium*, inquit Conviva (2), . . . *piper non homo. Is quacumque ibat terram adurebat; sed rectus, sed certus, amicus amico. . . . In* Curia *autem quomodo? Singulos velut pilas tractabat, nec schemas loquebatur, sed directum . . . . Et quam benignus, resalutare, nomina omnium reddere, tamquam unus de nobis. Itaque illo tempore annona pro luto erat*. 6. Erat *Basilica*, quemadmodum iam superius observavimus (3): Et *Theatrum*. Latinus ille Poeta Eumolpus haec ad Encolpium: *O mi adolescens*, ait (4), *quoties Theatrum, ut recitem aliquid intravi, hac me adventitiâ excipere frequentiâ pueri solent*. Neque hîc theatrum est quivis coetus auditorum. Nam iste coetus haud intrari dici potest, et notum est veteres Poetas saepe in theatris versus suos recitasse (5). Tum paullo inferius idem Eumolpus: *Postquam*, ait (6), *de Balneo, tamquam de Theatro eiectus sum*: Et Coloniae Rhetor Agamemnon adolescentem, qui ad eloquentiam, aliasve severas artes contendit monet (7),

Y *ne*

(1) V. Ciceron. pro Milon. c. 33.
(2) Cap. 44.
(3) Cap. II. Sect. I. num. 2.
(4) Cap. 90.
(5) V. Sveton. in Neron. c. X. Apuleium Florid. Libr. III. c. 1. Caes. Buleng. de Theatr. Libr. I. c. 22. et 29.
(6) Cap. 92.
(7) Cap. 5.

. . . . . . ne plausor in Scena
Sedeat redemtus histrioniae addictus.

IV. 8. Erat insuper Amphitheatrum, et quidem immobile, ac dubio procul lapideum. Haec sane quidam Civis (1): *Et ecce habituri sumus munus excellente impendio, die festa, familiâ non lanistitiâ, sed plurimi liberti. Et Titus noster magnum animum habet, et est calidus cerebri . . . Ferrum optimum daturus est, sine fugâ, carnarium in medio, ut* Amphitheatrum *videat, et habet unde. Relictum est illi sestertium trecenties . . Quadringenta impendat, non sentiet patrimonium illius, et sempiterno nominabitur. Iam mannos aliquot habet, et mulierem essedariam, et Dispensatorem Glyconis, qui deprehensus est, quum dominam suam delectaret. Videbis Populi rixam inter zelotypos et amasiunculos. Glyco autem sestertiarius homo Dispensatorem ad bestias dedit . . . Quid servus peccavit? Magis illa matella digna fuit, quam taurus iactaret . . . Sed subolfacio quod nobis epulum daturus est Mammea, binos denarios mihi et meis. Quod si hoc fecerit eripiet Norbano totum favorem. Scias oportet plenis velis hunc vinciturum. Et revera quid ille nobis boni fecit? Dedit gladiatores sestertiarios, iam decrepitos, quos si sufflasses cecidissent: iam meliores bestiarios vidi... Unus alicuius staturae fuit Threx, qui et ipse ad dictata pugnavit. Ad summam omnes postea secti sunt, adeo de magna turba ephebi accesserant, plani, fugae merae. Munus tamen, inquit, tibi dedi, et ego tibi plodo.* Ex his autem patet non modo Populum hunc ludis gladiatoriis vehementissime teneri, quod unum sat est, ut eum Romanae plane originis, non Graecae ostenderet, verum etiam Am-

(1) Cap. 45.

Amphitheatrum non mobile et temporarium, ut saepius fiebant (1), sed immobile ac perpetuum habuisse. Nam primum si in Colonia quoties edenda erant munera toties amphitheatra exstruenda fuissent ob impensam plane ingentem ea nimis rara esse debuissent, nec Conviva de non paucis et iam factis, et proxime faciendis loqui potuisset. Praeterea sestertiarius ille Glyco dispensatorem suum, veluti ex recepto et vetere more, in certum et notum locum ad bestias damnat, quod fieri non poterat, nisi stabile fuisset Amphitheatrum, nec sestertiarius homo fuisset, si amphitheatrum exstruxisset. Tertio ubi Amphitheatra a singulis munerum Editoribus construenda fuissent, ea in partem munerum cedebant, ideoque quomodo Conviva, qui tam minutus est in munere Norbani explicando, de Amphitheatro, si ab eo exstructum fuisset, ne verbum quidem addidisset. Quarto ait quemdam Titum iam iam excellens munus editurum, comparatos gladiatores, bestiarios, constitutam diem, verum de Amphitheatri constructione ne mutit quidem. Atqui si ab eo exstrueretur, id omnino caput erat de quo loqueretur, quum iam oculos mentesque eorum teneret. Tandem sumtum muneris a Tito edendi, vel ultra veritatem ad quadringenta sestertium Conviva abire facit, nempe ad decem fere millia nostrorum ducatorum. Atqui in Amphitheatri constructionem, quod decem tantummodo hominum millia caperet, nec decuplum fortasse eius pecuniae satis esse poterat, etsi ligneum construeretur. Ita etiam nec illos gladiatores sestertiarios exhibuisset Norbanus, si construendum ei fuisset Amphitheatrum, ne tantum

(1) V. Scip. Maffei degli Anfiteatri libr. 1. cap. 3. 10. etc.

tum sumptum tam turpi famâ perderet. Nec Mammea binos denarios viritim populo distribuens totum favorem illi praeripere poterat, et plenis velis vincere. Nam etsi bini denarii viginti millibus capitum largiti fuissent, totus sumtus ad quatuor millia ducatorum nostrorum abiisset, quum Norbanus in uno exstruendo Amphitheatro, quod viginti mille caperet pecuniae vim nulla comparatione maiorem impendere debuisset. Amphitheatrum ergo iamdiu in Colonia positum fuerat, perpetuum quidem, et ideo sine dubio lapideum.
9. Erat insuper in Coloniâ etiam Circus. Trimalchionis coquus (1) *Dominum suum sponsione provocat, si Prasinus proximis Circensibus primam palmam*. Tum ipse Trimalchio quibusdam servis suis: *Permitto, inquit, Philargyre, et Carrio, et si Prasianus es famosus, dic et Menophilae contubernali tuae, ut discumbat*. Conviva autem urbanus ad veterem certe penes Cives suos Circensium usum ex proverbio clamabat (2): *Iam quadrigae meae decucurrerunt*. Quin, ut ex his modo dictis patet, et factiones illae Circenses, quae Romae sub Caligula vehementissime celebrari caeperunt (3), in Coloniâ etiam habebantur, et quod Prasianus esset Trimalchio, ipse fortasse *prasinâ* etiam pilâ ludebat (4), eius Cinaedus fasciâ *prasinâ* catellam involvebat (5), et *prasinatus* erat Ostiarius (6).
10. Sed Coloniae Cives non Circenses modo, sed panem etiam et epulas, quod de Romana plebe pro-

(1) Cap. 70.
(2) Cap. 64.
(3) V. Pitisc. lex. in *Factio*.
(4) Cap. 27.
(5) Cap. 64.
(6) Cap. 28.

proverbium est tritum (1), avide captabant. Haec Conviva Urbanus, quae et superius recitavimus; *Sed subolfacio*, ait, *quod nobis epulum daturus est Mammeà binos denarios mihi et meis*. Tum Trimalchio ad Sculptorem monumenti sui: *Fac me*, *inquit* (2), *in Tribunali sedentem praetextatum cum annulis aureis quinque, et nummos in publico de sacculo effundentem. Scis enim quod epulum dedi, binos denarios. Faciatur, si tibi videtur, et triclinia, facies et totum populum sibi suaviter facientem.*

V. 11. Colonia autem ad mare erat posita. Encolpius ex diversorio egressus: *Collegi sarcinulas*, ait (3), *locumque secretum, et proximum litori moestus conduxi*. Tum idem: *Timui ego*, *inquit* (4), *ne me Poetam vocarent, itaque subsecutus fugientem ad litus perveni*. Eumolpus cum Encolpio et Gitone ex ipso diversorio navem adscendunt (5). Et Trimalchio de domo sua loquens: *Scaurus*, ait (6), *quum huc venit nusquam mavoluit hospitari, et habet ad mare paternum hospitium*. 12. Populus vero mercaturae et maritimae potissimum impense studebat. Praeter cetera sic Conviva: *Forte Dominus*, ait (7), *Capuam exierat ad scruta scite expedienda*. Tum alius de quodam Cive (8): *Ab asse crevit . . . itaque crevit quidquid crevit, tamquam favus. Puto me hercules illum reliquisse solida centum, et omnia in nummis habuit . . . Inter initia malum passum ambulavit, sed recorrexit costas illius prima vindemmia, vendidit enim vinum quantum ipse voluit .... Utique homo negotians ... Plane fortunae filius, in manu illius plumbum aurum*

(1) V. Iuvenal. Satyr. X. v. 81.
(2) Cap. 71.
(3) Cap. 81.
(4) Cap. 90.
(5) Cap. 99.
(6) Cap. 77.
(7) Cap. 62.
(8) Cap. 43.

diūm quingenta: *Boves domiti quingenti*. *Eodem die in arcam relatum est, quod collocari non potuit sestertium centies*. Ipse Trimalchio: *Deorum beneficio*, ait (1), *non emo, sed nunc, quidquid ad salivam facit in suburbano nascitur eo, quod ego adhuc non novi*. *Dicitur confine esse Tarruciniensibus et Tarentinis*. *Nunc coniungere agellis Siciliam volo, ut quum Africam libuerit ire, per meos fines navigem*. Servorum autem tantus dicitur numerus, ut ne decima quidem pars dominum suum nosset (2). Haec quidem omnia, et alia plura, quae de Trimalchionis divitiis referuntur (3), ad verbum literamque, quod vocant, interpretanda non sunt: Sed omnino ex veritatis specie effingenda fuit a Petronio Fabula; nec est qui negare possit prioribus Aerae nostrae seculis plerosque Romanorum, et libertos potissimum ad summas opes, atque ad incredibiles plane divitias pervenisse. Testis uterque Seneca (4), testis Lucanus (5), Silius (6), Plinius (7), Quintilianus (8), Athenaeus (9), Petronius ipsemet (10), aliique quamplures. 13. Tandem Petroniana Colonia Campaniae nostrae finibus omnino continebatur. Etenim Romanus et Tarracinensis ager versus septemtrionem, Appulus versus orientem, Tarentinus versus meridiem (11) mul-

(1) Cap. 48.
(2) Cap. 37.
(3) V. Cap. 52. 54. 77. etc.
(4) Rhetor Praef. in controvers. et controv. IX. Philosophus Epist. 85. 95. etc. Consolat. ad Helv. cap. 10. De Tranquill. c. 8. etc.
(5) Pharsal. I. v. 160. etc.
(6) Punicor. XIII. v. 466. etc.
(7) Libr. XXXVI. c. 7.
(8) Declamat. CCLII.
(9) Deipnosoph. libr. VI.
(10) In Specim. Bell. Civil. (11) V. Capit. 48. 53. 77. etc.

Et primum evidenter excluduntur Baiae; quum Trimalchionis servus Baias relegatus dicatur (1): Tum Surrentum: nam praeter cetera oppidum fuit non urbs, ut Petroniana Colonia dicitur (2), nec ita litori plane proxima, ut ex aedibus ferme ipsis naves conscenderentur; nec Amphiteatrum habuit, nec maritimâ mercaturâ claruit. Tum Misenum excluditur: Nam exiguum oppidum fuit, ut angustissimi agri limites ostendunt (3), non urbs: Et sane Augusti primum aetate, ex classiariis et legionariis militibus, ex eorum familiis, et ex rusticis propinquarum villarum ad quamdam magnitudinem auctum fuisse videtur. Cicero quidem saepius scribit (4) Antonium *Misenum venisse*, sed inde potius arguitur tum Miseni Oppidum non extitisse. Quum enim Antonia gens, ut ipse Cicero est testis (5), Villam in Miseno habuisset, eamque saepe Antonius peteret, numquam accuratissimus Scriptor *Misenum venire* dixisset, si Oppidum eius nominis extitisset, sed omnino ad Misenum, vel in Misenensem, ut in Puteolanum, Cumanum, Pompeianum. Et re quidem vera haec in ipsum Antonium idem Cicero ingerebat (6): *Quae autem domus tua? Neque erat usquam tua. Domum dico? Quid erat in terris ubi in tuo pedem poneres, praeter unum Misenum, quod cum sociis tamquam Sisaponem tenebas?* Et paullo post (7); *Praeter partem Miseni nihil erat, quod is qui auctionaretur posset suum*

Z

(1) Cap. 53.
(2) V. Capit. 10. 11. etc.
(3) V. Differt. Corograf. Storic. su Miseno e Cuma. Napoli 1775.
(4) Ad Attic. Libr. X. Ep. 7. XIV. Ep. 22. XV. Ep. 1. etc.
(5) De Orat. Libr. II. c. 14.
(5) Philipp. II. c. 19.
(7) Cap. 29.

suum dicere. Itane Misenum Oppidum haberi ab Antonio poterat? Tunc ergo ipsae villae Misenensis agri *Misenum* κατ' ἐξοχὴν dicebantur, et nullum adhuc iustae magnitudinis formaeque oppidum exstabat. Quod si Silius Italicus usque a belli secundi Punici temporibus incolis frequentatum Misenum innuit (1), dubio procul de villis est locutus, quae aliquando pagis erat similiores. Et Miseni quidem praeter ceteras et C. Marii (2), et L. Luculli (3) Villae erant plane amplissimae. Classis autem Misenensis haudquaquam commercia exercebat, sed Hispaniam, Galliam, Mauritaniam, Africam, Aegyptum, Sardiniam, Siciliam armis tuebatur (4). Ergo ne diutius hîc immoremur Petronii Urbs Misenum non fuit. Nec etiam Stabiae: Eae namque ad bellum Civile Sullanum oppidum tantummodo exstiterunt, deinceps vero deletae in villas abierunt, quam formam Plinii maioris aetate, seipso teste (5), servabant; deinceps vero cineribus et pumicibus Vesuvii montis obrutae (6), quidquid Scipio Breislakius dicat (7), Galeni aevo vix in tenue oppidulum, et quidem a vetere sede aliquantulum remotae sese erexerant (8). Herculaneum autem oppidum etiam fuit testibus luculentissimis Dionysio Halicarnasseo (9), et Strabone (10): nec

(1) Punicor. VIII. v. 540.
(2) V. Plin. hist. nat. libr. XVIII. c. 6. Plutarch. in Mario.
(3) Tacit. Annal. VI. c. 50. Phaedr. libr. II. Fab. 5. v. 9. Sveton. in Tiber. c. 72.
(4) V. Sveton. in Aug. c. 49. Tacit. IV. ann. c. 5. Veget. de re militar. lib. IV. c. 31.
(5) Libr. III. hist. nat. c. 5.
(6) V. Script. Dissert. Isagog. ad vol. Hercul. Part. I. c. 13.
(7) Voyages Physiqu. et litholog. dans la Campanie chap. I.
(8) De Method. medendi. Libr. V. c. 12.
(9) Antiquit. Roman. libr. I. cap. 44.
(10) Libr. V. p. 247.

nec umquam Romanorum Colonia evasit, quemadmodum evincit eruditissimus Scriptor Dissertationis Isagogicae in Herculanensia volumina (1). Restant ergo Neapolis tantummodo et Puteoli, de quibus tamen uberius est disserendum.

§. II.

Notae et characteres Petronianae Urbis haudquaquam Neapoli, sed Puteolis potius congruunt.

I. ui Neapolitanas res veteres aliquo pacto norit, perspectumque habuerit in Petronianâ Saturâ Claudii et Neronis tempora notari, nullo prorsus negotio perspiciet, Urbem qua Trimalchionis cena fingitur aliam a Neapoli nostra exstitisse. Ea enim aetate Neapolis non Romanis legibus, Latinisque moribus erat instructa, quemadmodum Petronii Urbs, sed contra Graecis studiis erat florentissima. Graecus sermo, graeci mores, graeca instituta, graeci magistratus; Gymnasia, Stadia, Phratriae, Ephebia, Agones celeberrimi, ipsisque Olympicis aemuli. Strabo hanc unam Civitatem cum Rhegio et Tarento veluti prorsus Graecam ex reliquis Italicis graecanicis, quae a veteribus moribus deflexerant, eximit (2), eiusque Graeca instituta enumerat (3). Velleius Paterculus satis perspicue ostendit (4) quantâ curâ Neapolitani veteres mores suos sartos tectos servare et tueri contenderent. Unde Cicero eos in *Graecia* absolute ha-

(1) Part. I. c. 9.
(2) Libr. cit. pag. 246.
(3) Libr. VI. p. 253.
(4) Libr. I. Hist. Rom. c. 4.

habitare dixit (1), testatusque est (2) ita Graecos et sermone, et iure, et moribus Neapolitanos habitos, ut qui Romae Graeco ritu ex religiosissimo instituto certos Deos colere deberent ex Neapolitanis etiam seligerentur. Claudius autem Imperator, qui plura graece scripsit (3), graeco more rituque cum universo comitatu suo Neapoli aliquamdiu vixit, graecam Comoediam in Agone dedit, deque sententia Iudicum coronavit (4). Tum Nero, qui de Musicis loquens *solos scire audire Graecos* praedicabat (5), antequam in ipsam Achaiam proficisceretur Neapolim ut Graecam maxime Urbem venit, prodiitque saepius in Neapolitanum Theatrum graece canens (6). Lucanus autem de Calpurnio Pisone coaevo suo agens haec cecinit (7):

Quin etiam facilis Romano profluit ore
Graecia, Cecropiaeque sonat gravis aemulus Urbi.
Testis Acidaliâ quae condidit alite muros
Euboicam referens facunda Neapolis arcem:
Qualis io Superi, qualis nitor oris amoenis
Vocibus? Hinc solido fulgore micantia verba
Implevère locos, hinc exornata figuris
Advolat excusso velox sententia torno.

Quamobrem inter Petronii Coloniam et Neapolim nedum nulla tum similitudo et paritas intercessit, sed Civitates plane aliae extiterunt. Quae fortasse spectans ipsemet Ignarra fateri coactus fuit (8): *Atqui si Satyricus ille foret C. Petronius, qui sub Ne-*

(1) Pro Arch. Poet. c. 5.
(2) Pro Cornel. Balbo cap. 24.
(3) V. Sveton. in Vit. c. 42.
(4) Sveton. loc. cit. c. 11. Dion. libr. LX. c. 6.
(5) Sveton. in Vit. c. 22.
(6) Sveton. loc. cit. c. 20. Tacit. Libr. XV. Annal. c. 33. etc.
(7) In Panegyr. v. 89. et sequ.
(8) De Palaeftr. p. 184.

Nerone violentas sibi manus intulit, prono alveo flueret (non Neapolim , sed) *Puteolos fuisse designatos*. Ideoque quum iam superius plurimis argumentis sat commode , ut arbitror , demonstratum fuerit revera Petronium Claudii et Neronis aetate vixisse , rectissime modo decerni posset Petronii Coloniam haud fuisse Neapolim . Verumtamen quum ad tempora paullo inferiora confidentissime Ignarra nos provocet , nobisque non Colonia ex Petronii aetate decernenda , sed Petronii aetas, constitutâ Coloniâ, firmanda sit, gerendus est mos, propiusque Ignarrae vestigia sunt persequenda.

II. Ait igitur Vir clarissimus Neapolim quidem antea fuisse Graecam, sed propter Romanorum propinquitatem sub finem secundi Aerae nostrae seculi, sublato Gymnasio (1) , *eiurato penitus Graecismo* (2) ad mores, ad instituta, ad linguam Romanorum transiisse, ut perfecta Civitatis imago in Petronianâ Coloniâ habeatur (3). Sed , eius pace dixerim , equidem nescio quomodo non viderit doctus Vir rectae rationi , monumentis, universaeque historiae haec adversari . Etenim ex ordine, cursu, et quadam necessitate rerum humanarum nullo pacto fieri potuit, ut Greca Gens, quaequae fuerit cum Romanis consuetudo , tam brevi Latina plane fieret. Ea profecto est Gentium natura et conditio, ut quos mores semel inter aras et focos suos imbiberint servent diutissime, et instituta sua, sacra, leges, iura, linguam tenacissime tueantur, neque ea, ubi humanae necessitates id omnino requirant, nisi sensim , aegre , paullatim

(1) Oper. cit. p. 146. 159. 160. etc.
(2) Oper. cit. p. 201.
(3) Oper. cit. p. 196. et sequ. pag. 221. etc.

tim deponant, et obsolescere patiantur. Plena exemplorum Historia, nec res Commentario eget. Quamdiu ergo durabunt mores potissimum, quibus Gens a Gente secernitur, et proprii naturalesque facti videntur? Quamdiu sacra et cetera instituta, quae cum Religione intime sunt connexa? Quamdiu patrius sermo cum externo, ut ita dicam, colluctabitur? Quamdiu eo recepto ex aequo tamen usurpabitur, quamdiu cedens insignes reliquias servabit? Ex quo revera factum, ut plures semper populi bilingues vel trilingues diutius extiterint (1). Praeterea nos non de rudi et barbaro populo, non de Hispanis, Gallis, aut Afris loquimur, sed de Gente politissima et literatissima, et propterea ventosa, insolente, et in suam laudem effusissima, quaeque se Romanorum parentem ac Magistram existimans Romanis moribus, institutis, linguae servire abhorrebat (2). Quot ergo aetates decurrere debuerunt, quo Graeca Neapolis Latina plane fieret (3)? Si Posidoniatae, qui Strabonis aetate, ut ex eo colligitur, iam Latini dicebantur, attamen vel tertio Aerae nostrae seculo tanto veterum institutorum suorum desiderio tenebantur, ut die festo, ex iis, qui maxime in Graecia erant celebres, unâ coeuntes rerum Graecarum, et priscorum institutorum memoriam cum lacrimis et questibus recolebant (4), quid de Neapolitanis dicendum, qui Graeci et Strabonis et Neronis aetate, et

(1) V. Varron. apud Isidor. Libr. XV. Origin. c. 1. Horat. Libr. I. Satyr. 10. v. 29. et ibi Porphyrion. Apulei. Metam. XI. Curt. lib. VII. c. 5. Festum. voc. Biling. Brutiat. etc.
(2) V. Plinium lib. III. Hist. nat. c. 5. Tacit. II. Ann. c. 88. Gell. XIX. Noct. c. 9. etc. etc.
(3) Libr. VI. p. 253.
(4) V. Athenaeum libr. XIV. c. 7.

et habebantur et erant? Sed quid Neronem dico, si sub Adriani principatu, quod ipsemet Ignarra saepe fatetur (1), absolute quodammodo Graeca haberi et dici potest? Florebat enim adhuc Gymnasium, et celeberrimus Agon, quae una, ut rectissime ipsemet Ignarra evicit (2), universae Graecae institutionis compendium complectebantur, urbemque vel plane Graecam, vel Graecorum studiosissimam adserebant. Tum Magistratus erant Graeci, ipseque Adrianus Neapolitanam Demarchiam gessit, ut tradit Spartianus (3), qui perspicue etiam Neapolim ut Graecam Urbem Latinis oppidis opponit. Erant adhuc Phratriae, genus nempe politicae institutionis Atticae, quae Gentilium sacrorum, quae civilium legum, quae politicorum institutorum custodes servatricesque recte appellari possunt (4). Quin Neapolitani ipsum adhuc graeculum ingenium, ipsamque graecam indolem servabant. Ipsi enim, ut nobilissimi Scriptores nostri contendunt (5), et Ignarra quoque pluribus tueri conatus est (6), non modo Phratriam ex nomine Antinoi Imperatorii Cinaedi appellarunt, sed etiam quod nemo ullus ex Romanis facere visus fuerat, sed uni tantummodo Graeculi certatim usurpaverant (7), eumdem Antinoum consecrarunt, eique statuas posuerunt. Ab Adriano autem ad Severum ne integra quidem aetas hominis intercessit. Ex re-

(1) De Palaestr. p. 202. 203. 206. 217. etc.
(2) Oper. cit. p. 94. et sequ.
(3) In vit. c. 19.
(4) V. Martorell. de Reg. Thec. Libr. II. c. 8. Ignarr. de Phratriis.
(5) V. Lasen. del Ginnas. Napol. c. 6. etc. Martorell. loc. cit. p. 660. et seqq.
(6) De Phrarr. et de Palaestr. p. 144. et 260.
(7) V. Spartian. loc. cit. c. 14. et ibi Salmas. et Casaubon.

rerum igitur humanarum ordine et necessitate nullo pacto Neapolis ita Latini moris orisque fieri potuit, ut pro Coloniâ Petronianâ circa Severi principatum sumi posset.

III. Et re quidem vera quum tantae et tam praecipitis immutationis, si facta revera fuisset; gravissimae omnino et maximae caussae extare debuissent, ubi eorum temporum historiam mature expendimus, non modo nullas eiusmodi caussas invenimus, quibus saltem per duo priora a Christo secula Neapolitana Graecitas plane deleretur, verum etiam omnia conspirasse deprehendimus, ut ea in pristino suo splendore, et absoluta, ut ita dicam, integritate perduraret. Quis enim nescit Romanos per ea tempora omnia Graeca studia miro ardore fovisse (1); et ita graeca instituta exquisiisse et adamasse, ut fieri propemodum Graeci viderentur? Nero Gymnasia in ipsa Urbe posuit, Graecos agones instituit, et Graeca universim ad insaniam adamavit (2). Romanorum severiores sic de huiusmodi institutionibus apud Tacitum queruntur (3): *Ceterum abolitos paullatim patrios mores funditus everti per accitam lasciviam, ut quod usquam corrumpi et corrumpere queat in Urbe visatur, degeneretque studiis externis iuventus; gymnasia et otia, et turpes amores exercendo: Principe et Senatu auctoribus, qui non modo licentiam vitiis permiserint, sed vim adhibeant.* Domitianus alios agones, et longe celebriores instituit, qui plane Greco ritu celebrabantur

(1) V. Aristid. Orat. in Romam. Tom. I. p. 392. etc. Dionem Chrysost. Orat. XXXVIII.

(2) V. Tacit. Ann. XIV. c. 20. 47. etc. Sveton. in Vit. c. 12. Xiphil. ex Dion. p. 189. edit. Lugd. 1559.

(3) Loc. cit. c. 20.

tur (1): Tum Stadium posuit, et certaminibus Graeco habitu praefuit (2). Praeterea eius aetate ita graecus sermo, graeculique mores expetebantur, ut vulgo pueruli et infantes non Latinis, sed Graeculis ancillis committerentur, quo prima omnia graeca essent (3), et ipsae latinae mulierculae graece passim colloquerentur (4). Traianus graeca instituta dilatavit, Odeum, et Gymnasium Romae exaedificavit (5), Agonesque Iselasticos in suum honorem celebrandos Bithynis indulsit (6): quin et aliud Gymnasium Romae pariter eo Principe Licinius Sura suis impensis exstruxit (7). Et tum vulgatior etiam Romanis Graecus sermo factus videtur. Haec Iuvenalis (8), qui Romam *Graecam* plane *Urbem* appellat (9):

Quaedam parva quidem, sed non toleranda maritis.
Nam quid rancidius, quam quod se non putat ulla
Formosam, nisi quae de Tusca Graecula facta est,
De Sulmonensi mera Cecropis? Omnia Graece:
Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta, quid ultra?
Concumbunt graece. Dones tamen ista puellis.
Tune etiam, quam sextus et octogesimus annus
Pulsat, adhuc graece? Non est hic sermo pudicus
In vetula, quoties lascivum intervenit illud
Ζωη και ψυχη.

(1) Sveton. in Vit. c. 4. Censorin. de die Natal. c. 18.
(2) Sveton. loc. cit.
(3) V. Auctor. Dialog. de corrupt. eloqu. c. XXIX.
(4) V. Martial. Libr. X. Epigr. 68.
(5) V. Dion. lib. LXIX. cap. 2.
(6) Plin. Caecil. libr. X. Epist. 119. etc.
(7) V. Xiphilin. ex Dion. in Traian.
(8) Satyr. VI. v. 183. et seqq.
(9) Satyr. III. v. 61.

Adrianus porro Graecis studiis tam impense operam dedit, eaque tam ardenter expetiit, ut *Graeculus* vulgo diceretur (1). Graecis omnibus favit, eos mira liberalitate erexit et iuvit, non modo Eleusiniis, sed ceteris Graecis universis mysteriis se initiari passus est, Agones alios, et certamina Graeca instituit, et pro Agonothetâ non semel sedit (2). Antoninus Pius Graecis impense favit (3), in ipsa Roma Graecum Stadium incendio absumtum instauravit (4), et Puteolis latinissima Urbe Graecum Agona et Iselasticum et celeberrimum constituit (5). Marcus Aurelius non modo Graecam Philosophiam, et Graecos mores, et Graecam linguam probavit, et adoptavit, sed dedit etiam operam, ut gladiatoria ars, quâ maxime Romani a Graecis secernebantur ad palaestricam et athleticam adduceretur (6). Quin videtur peculiari lege gladiatoria munera omnino interdixisse. Nam ex veteri Inscriptione patet, Puteolis, ubi celebre Amphitheatrum extructum erat, ex eius tantummodo indulgentiâ obliterata iam eorum munerum spectacula aliquando restituta fuisse (7). Commodus Athleticae indulsit, graecis vestibus publice usus est, aliumque et maximum Romae Gymnasium eo imperante aedifica-

(1) V. Spartian. in vit. c. 1. Aurel. Vict. in Epitom. c. 14.
(2) V. Spartian. et Victor. locis cit. Arrian. Peripl. Pont. Euxin. Pausan. in Attic. Eliac. poster. etc. Xiphil. ex Dion. in Adrian. c. 7. Div. Hieronym. in Chronic.
(3) V. Lasen. dell'antic. Ginnas. Napol. c. 6.
(4) V. Iul. Capitolin. in Vit. c. 8.
(5) V. Artemid. Onirocrit. lib. 1. c. 28. Spartian. in Adrian. c. 27. cum Casaubon. et Salmas. Ioseph. Scaliger. de emendat. tempor. Libr. V. pag. 477. Edit. Colon. Allobrog. 1629. Ignarr. de Palaestr. p. 227. et seqq.
(6) V. Iul. Capitol. in vit. cap. 11. Xiphil. ex Dion. in vit.
(7) V. Lasen. del Ginnasio Napol. c. 7.

ficatum fuit (1). Quotque ex Romanis eo Imperatore Graecam linguam callerent, Graecisque literis darent operam ex Philostrato in Adriani Sophistae vita patet (2). Septimius Severus Graecos ludos celeberrimos Romae edidit (3). Quin porro Alexander graecis studiis assiduam operam dedit, palaestrae multum indulsit, Stadium instauravit, graecisque Agonibus pro Agonotheta sedit (4). Tum in ipsa Roma seculo tertio iam desinente Capitolinus Agon, quem perpetuo ordine a Domitiano ad aetatem suam, ad Gordianos nempe, celebratum Censorinus scribit (5), a Carino et Numeriano longe maiorem splendorem accepit, ceterisque fere omnibus Graecis certaminibus est auctus. *Memorabile maxime*, inquit Flavius Vopiscus (6), *et Carini et Numeriani hoc habuit imperium, quod Ludos Romanos novis ornatos spectaculis dederunt, quos in Palatio circa porticum Stabuli pictos vidimus. Exhibuerunt centum Salpistas uno crepitu concinentes, et centum Camptaulas, Choraulas centum, etiam Pythaulas centum, Pantomimos, et Gymnicos mille .... Exhibuit Cyclopem adornatum: et Graecis artificibus, et Gymnicis, et Histrionibus, et Musicis aurum et argentum donata, et vestis serica*. Denique graeca certamina, et graeca universim instituta quantum eodem tertio seculo, et quarto, et amplius etiam per ipsa Latina oppida obtinuissent, utque expe-

tita

(1) V. Ael. Lamprid. in vit. c. 17. Aurel. Vict. in Caesarib. cap. 18. Herodian. in Vit. c. 8.

(2) Lib. II. cap. X.

(3) Herodian. in Vit. cap. 7.

(4) V. Ael. Lamprid. in Vit. c. 35. etc. Lasen. oper. cit. c. 8.

(5) De die Natal. c. 18.

(6) In vit. cap. 3.

tita et probata fuissent ex Tertulliano (1), Cypriano (2), Aurelio Charisio (3), ex Alexandri Severi, Diocletiani et Valentis legibus vel rescriptis (4), ex Arnobio (5), Ambrosio (6), Augustino (7), Salviano (8) Libanio (9), Iuliano Imperatore (10), aliisque pluribus patet. Itane ergo Neapoli in Graeca et Attica Urbe sub secundi seculi finem universa Graecitas extincta fuit? Itane quod Romanis propinqui, qui Graecitatem impense expetebant, omnem Graecitatem suam tam cito exuere Neapolitani cogebantur? Quin quanta potius curâ et studio, et dicam etiam sollicitudine, Graeca instituta sua debuerunt Neapolitani diutius tueri et servare, quae praeterquamquod ob ingenitum Patriae amorem carissima erant, ab universis Romanis, atque ab ipsis Imperatoribus religiose colebantur, atque ardenter expetebantur? Et quid dicemus si animadverterimus plerosque nobiles et praeclaros Romanos Viros, summoque loco natos Neapolim data opera ut Graece viverent confluxisse, ut graecam mitellam, graecas crepidas, graecum pallium sumerent, utque tandem pergraecarentur, si Plautino verbo dice-

(1) De Pallio cap. 4. de Spectacul. in Scorpiac. advers. Gnostic. c. 6. ad Martyres. c. 3. etc.
(2) Epist. I. VIII. etc.
(3) V. Digest. libr. L. Tit. IV. Leg. 10. §. 17.
(4) V. Cod. Iustin. Libr. VIII. Tit. XVII. Leg. 5. lib. X. Tit. LIII. leg. unic. Libr. XI. Tit. XL. leg. 1.
(5) Libr. IV. advers. Gent.
(6) Ad Psalm. 1. et 36.
(7) De Cathech. Rudib. c. 16. De Symbol. c. 2.
(8) De Iudic. et Provident. Dei Libr. VI. p. 159. edit. Venet. 1696.
(9) In vita sua p. 52. Edit. Morell. Oration. in Constantium et Constantem. p. 101. Legat. ad Iulian. p. 157. Orat. XI. p. 376. et 493. edit. cit.
(10) In Mysopog. et Oration. 1.

dicere fas est (1)? Quid si meminerimus ipsum Augustum cum Tiberio ad Neapolitanos Agonas adfuisse (2), Claudium deinde pro Agonotheta sedisse (3), nec Romanum Imperatorem erubuisse, quin pallio et soleis sumtis (4), graecam Comoediam Graeculis Iudicibus subiiceret (5); Neronem unos Neapolitanos prae universis Italis aexstimasse, quibus rectissimum esset iudicium aurium, quique in Musicis, Poeticis, ceterisque iucundis et delicatis institutionibus, utpote Graeci, maxime praestarent et antecellerent? Quid si animo reputabimus diutius Neapolim quoddam Graecarum Musarum Athenaeum extitisse, quo ex universa Italia adolescentes ad Graecas literas perdiscendas confluerent (6), tum Titum Vespasianum Neapolitanum Gymnasium, Thermasque terraemotibus collapsas magno certe sumtu instaurasse, quin Gymnasiarcham, Agonothetam, Demarchum Neapoli fuisse (7), et Adrianum eadem munera gessisse, universamque Civitatem iuvisse (8)? Idne igitur erat Graeca instituta Neapoli delere, vel potius erat ut fierent aeterna studere?

IV. Igitur Neapolitanum Gymnasium, quod florens et illustre ad postrema Commodi tempora ex celebri etiam Inscriptione deprehendimus (9), sub Se-

(1) V. Ciceron. pro Rabir. Posthum. c. 10. Strabon. Libr. V. p. 246.
(2) V. Sveton. in August. c. 98. Dion. Libr. LVI.
(3) V. Ignarr. de Palaest. p. 141.
(4) V. Dion. libr. LX. c. 6.
(5) Sveton. in vit. c. 11.
(6) V. Statium V. Silv. 3. v. 176. et sequ.
(7) V. Mazoch. de Cathedr. Neap. etc. Diatrib. III. de Neapol. Colon. Part. I. c. 1. Martorell. de Reg. Thec. Libr. II. p. 412. etc. Ignarr. de Palaestr. p. 109. et sequ. 141. etc.
(8) V. Lasen. del Ginnas. Napol. c. 6. Carlett. Topograf. di Napoli p. 42. not. XXII. etc. Ignarr. oper. cit. p. 144.
(9) V. Ignarr. de Palaestr. p. 8. 87. 146.

Septimio Severo vigebat dubio procul et florebat : Scio quidem Ignarram autumare, quod per istam ipsam aetatem Gymnasium defecerit, quod nulla alia monumenta appareant, quae doceant ulterius perdurasse (1). Sed nonne id puerile est ? Ergo antequam illa Inscriptio detegeretur tenere et affirmare quis potuisset iam ante Commodum Imperatorem Neapolitanum Gymnasium defecisse. Quod si per plura secula celeberrimi Gymnasii reliquiae superfuerunt, Agonesque non quod vi tollerentur, ac vetarentur, sed desuetudine et negligentia defecerunt (2), fierine ex humanarum rerum cursu potest, ut intra quindecim fere annos Ludi Olympicis aemuli (3), ad quos certatim undique confluebant populi (4), iique, ut eorum Victoribus monumenta excitarentur, nomenque aeternitati mandaretur, plane desuetudine extinguerentur ? Praeterea si in Tarentina Colonia inclinato iam tertio seculo Gymnasium florebat, quomodo in Neapolitano municipio sub finem secundi extingui debuit? Si Graeci Agones vel in Latinis Africae oppidis (5), atque in ipsâ Româ quarto etiam seculo celebrabantur, quo pacto in Graecâ urbe duo fere ante secula aboleri penitus et extingui potuerunt ? Age vero iste Graecorum institutorum per secundi seculi finem contemtus et despicatus in Neapolitana Civitate vel ab ipsis Graecis oriri debuit, vel a Romanis. Itane a Graecis, qui una sua amabant, mirabantur, magnificabant ! Ergo a Romanis. Scilicet tum Romani Graeca instituta Neapoli delebant, quum

(1) Oper. cit. p. 146.
(2) V. Ignarr. oper. cit. p. 120.
(3) V. Ignarr. de Palaestr. p. 153.
(4) V. Dion. Chrisost. Orat. XXVIII. XXIX.
(5) V. Codic. Iustin. lib. XI. tit. 4. leg. 1.

quum ea undique conquirerent; et complecterentur, tum Gymnica studia Neapoli exstinguebant, quum per universam Asiam et Graeciam fovebant: quum Tarenti, quum Rhegii servabant, quum Surrentum (1), quum Puteolos, quum Carthaginem, ut diximus, inferebant, quum in ipsâ Româ non servabant modo, sed in dies augebant. Si ergo nec Graeci nec Romani sub Septimio Severo Neapolitanum Gymnasium delerunt, utique tum mansit et floruit. Et re quidem vera vel tertio Aerae nostrae seculo floruisse et a Dione (2) haud obscure, ut mihi videtur, innuitur, et ex Diocletiani lege (3) perspicue colligitur. Haec Diocletianus, qui postremis eius seculi annis principatum adeptus est: *Athletis ita demum*, ait, *si per omnem aetatem certasse coronis quoque non minus tribus certaminis sacri, in quibus vel semel Romae, seu antiquae Graeciae merito coronati, non aemulis corruptis ac redemtis probentur civilium munerum tribui solet vacatio*. Iacobus Cuiacius (4), aliique doctissimi Viri non pauci *antiquam* istam *Graeciam* Italicam seu maiorem interpretantur: idque luculenter plane ostendisse visus est Petrus Lasena (5). Et re quidem vera Graecia nostra rectissime a Diocletiano *antiqua* appellari potuit, quae iam a Thucydide (6), Polybio (7), Varrone (8), Cicerone (9), Valerio Maximo (10), aliis.

(1) V. Stat. III. Silv. Carm. I. v. 44. etc.
(2) Libr. LVI.
(3) In Codic. Iustinian. Libr. X. tit. 53.
(4) Ad Codic. loc. cit.
(5) Dell'antic. Ginnas. etc. cap. 9.
(6) Libr. II.
(7) Lib. III. Historiar. sub fin.
(8) De Re Rust. II. c. 5.
(9) De Orat. Lib. III. c. 34.
(10) Lib. VIII. Exempl. c. 7. ext. 2.

aliisque pluribus vetus et antiqua dicta fuit: Italicam autem Graeciam Campaniam quoque continuisse, et singillatim Neapolim ex Polybio (1), Cicerone (2), Ovidio (3), Strabone (4), Seneca (5), Aristide (6), Athenaeo (7), Iustino (8), Synesio (9), Festo (10), Servio (11), atque aliis multis luculentissime patet. Praeterea quum Diocletiani aetate adhuc Italia rerum Domina haberetur longe probabilius est non Urbes Graeciae, quae ut provincia serviebat, sed Urbes Italiae, quae adhuc dominabatur, eo honore donare Imperatorem voluisse. Quamobrem quum eo Imperatore Neapolis tantummodo et Puteoli sacris certaminibus frui adhuc possent, nisi tu Neapolim spectasse Imporatorem putas ineptam ridiculamque legem efficies. Ignarra quidem totam huius argumenti vim se elusisse putavit (12), in sententiam Petri Fabri concedens, qui in hoc Diocletiani Rescripto Graeciam *antiquam* non *Maiorem* nostram, sed Achaicam intelligebat (13). At frustra, ut arbitror. Etenim etsi verum esset Imperatorem de Achaia locutum fuisse, quum hanc non proprio nomine, non Graeciam absolute appellasset, sed *antiquam* Graeciam dixisset, et palam sit, eum qui *antiquam* di-

(1) Loc. cit.
(2) Pro Archia Poet. c. 5.
(3) IV. Fastor. v. 64.
(4) Libr. V. p. 253.
(5) Consolar. ad Helvian. cap. 6.
(6) In Oration. Platonic. 2. Tom. III.
(7) Lib. XII. Deipnotoph. c. 5.
(8) Lib. XX. cap. 2.
(9) Ad Poeonium.
(10) In *Maior Graecia*.
(11) Ad Virgil. Aen. I. v. 569. vel 573.
(12) De Palaestr. p. 147.
(13) In Agonistic. Libr. III. c. 25.

dicit novam, recentem; aliam spectare, haud dubitari posse puto, quin et Graeciam nostram Imperator spectaverit, quum potissimum non de omnibus tribus coronis, sed de una tantummodo locutus fuerit. Ergo spectavit Neapolim. Tunc ergo Gymnasium nostrum adhuc vigebat. At quid plura, si manifestum, si luculentum, si invictum testimonium Neapolitanorum Agonum adhuc seculo tertio illustrium celebriumque ex Philostrato habemus (1), qui sub Caracalla maxime floruit, et usque ad Philippum vixisse est auctor Suidas (2)? Ignarra quidem videns opinionem suam isto testimonio funditus everti hunc Philostratum cum altero Philostrato, qui Nerone Imperatore Romae vixit, confudit, vel coaevum fecit, et propterea ad Neronis tempora, quae Philostratus noster de Neapolitana Graecitate habet retrahenda autumavit. Verum id nulla prorsus ratione, argumentove Ignarra fecit, et Ioannes Meursius cuius auctoritate unice adnisus fuerat a vero dubio procul aberravit. Ger. I. Vossius (3) Ioan. Alb. Fabricius (4), Gottfridus Olearius (5), Sebastianus Tillemontius (6), Christophorus Saxius (7), aliique plures receptissimam communemque opinionem tutati sunt. Quin ipsemet Meursius probe vidit, quam tenui fundamento sua niteretur opinio. Ad calcem enim brevis Disputationis suae (8) subdidit: *Si quis alia et meliora aliquando afferet libens admittam*.

B b Quin

(1) Praefat. in Icon.
(2) In Φιλοςρατος Φιλοςρατκ.
(3) De Historic. Graec. Libr. II. c. 15.
(4) In Biblioth. Graec. Libr. IV. c. 24.
(5) Praefat. ad Philostratos suos.
(6) Histor. des Empereurs etc. Severe. Art. XXXVII.
(7) Onomast. ad ann. 200.
(8) Praefix. Philostr. Epistolis Lugd. Batav. 1616.

Quin porro non unum Gymnasium, quamvis Graecorum institutorum caput, tertio seculo Neapoli florebat, sed universe mores Graecos adhuc Cives nostri aemulabantur, Graecusque sermo ita passim usurpabatur, ut Philostratus iste, de quo modo locuti sumus, ad publice declamandum huc venerit, Graeceque cum adolescentibus Neapolitanis sermones suos habuerit (1). Tum exploratum plane videtur non paucas ex Phratriacis Inscriptionibus, quae modo extant, tertio seculo fuisse positas; et ut supra diximus, nil luculentius Graecam Politiam prodit, quam Phratriarum institutio. Verum quum de diuturna Neapolitanorum Graecitate doctissime et uberrime Iacobus Martorellius disseruerit (2), nobis modo satis erit colligere, et affirmare inter plane exploratissima habendum esse, quod Neapolitani nullo pacto sub secundi seculi finem ita patrios mores dedidicissent, ita Graecitatem omnem exuissent, ut Petronianae Coloniae Cives haberi possint, iique, qui Graecos fratres parentesque suos oderint et contemserint.

V. Age vero etsi adhuc adlata invicte propositum nostrum tueantur, quum plures Neapolitanae Graecitati sint infensissimi videamus modo quanti ponderis sint ea quae urgent, vel quae possunt urgere. Et primum sat mature, aiunt, Graecitatem suam exuere debuit Neapolis, quum solido fere ante Christum natum seculo latinum Municipium evaserit, et Romana plane Civitas. Verum quidem est Neapolitanos lege Iulia Romanos Cives eva-

(1) Philostr. loc. cit.
(2) De Reg. Thec. Lib. II. Cap. 5. Part. 4.

evasisse (1), sed ista Civitas nullo pacto Graecitatem delebat, vel delere poterat. Eius enim conditionis Municipia *legibus suis, suoque iure*, ut Gellius ait (2), utebantur, nullisque aliis necessitatibus, neque ulla Populi Romani lege adstricti erant. Suos Magistratus, suas Religiones, sua instituta, suum sermonem servabant. Populus autem Neapolitanus numquam *fundus* factus est, nec per prima saltem Aerae nostrae secula Latinorum vel Romanorum Coloniam suscepit. Unde diutissime Graeca instituta sua sarta tecta servare liberrime potuit, vel etiam augere, si ita loqui fas est, et amplificare. Et ita quidem: Etenim Neapolitanos Cives patria iura sua ducentis ferme post annis a recepta Civitate Romanâ integra servasse locuples testis est Statius, qui haec ad uxorem de Neapoli sua scribebat (3):

Nulla Foro rabies, aut strictae iurgia legis,
Morum iura Viris, solum et sine fascibus aequum.

Scilicet ut Patria iura Romano iuri opponeret, quod *ferreum* Virgilius dixit (4), et pacatissimum *Forum* nostrum Romano, quod *insanum* idem Virgilius appellavit (5). Quidni Graeca iura ad unum aliud seculum Neapoli servari potuerunt? Quin ut vidimus Romana Civitas iuvit quodammodo Neapolitanam Graecitatem, et notum est post seculum fere a recepta Civitate Sacrum Agonem Olympico

* aemu-

(1) V. Ciceron. pro Cornel. Balb. c. 24. II. Agr. c. 31. XIII. ad Famil. Ep. 30. etc. Mazoch. ad Tab. Heracleens. p. 62. 115.492. Ignarr. de Palaestr. p. 161. Script. Dissert. Isagog. ad Volum. Herculan. p. 100.
(2) Libr. XVI. c. 13.
(3) III. Silvar. 5. v. 87.
(4) Georg. II. v. 501.
(5) Libr. cit. v. 502.

aemulum Neapoli fuisse institutum (1), indeque incredibile decus et incrementum Neapolitanae Graecitati fuisse additum. Praeterea vidimus etiam non in Municipiis, sed in ipsis Coloniis, sed in ipsû Româ usque ad quartum quintumve Aerae nostrae seculum graeca instituta suscepta, celebrata, servata fuisse. Ergo Romana Civitas nullo pacto ita Neapolitanae Graecitati nocere potuit, ut sub finem secundi seculi eam omnino deleret. 2. Sed iamdiu, pergunt, coacti fuerunt Neapolitani, ut tradit Strabo (2), numerum quemdam Campanorum in suam Civitatem recipere: Atqui Campani ore moribusque, ipsomet Strabone teste(3), Romani erant. Haec vera: Sed aeque verum est non Neapolitanos in Campanorum Civitatem et iura, sed Campanos contra in Neapolitanorum Civitatem transiisse, unde Campani Graeci, non Neapolitani Campani fieri debuerunt. Et ita quidem. Nam ex Strabone (4) patet inter Neapolitanos Demarchos aliquando Campanos adlectos fuisse. Praeterea si Tarentum et Rhegium, quorum illud iam inde ab anno Urbis DCXXIX. Coloniam Romanorum receperat (5), istud vero Caesaris, et Augusti iterum aetate (6), Graeca tamen instituta ad tertium certe seculum servarunt, quid de Neapoli dicendum erit? Tum si Cumae iam ab anno Urbis CCCXXIX. a Campanis occupatae (7), atque *ab Osca vicinia*, ut Pater-

(1) V. Ignarr. de Pal. p. 157. Fragment. Dionis Cassii a Cl. Iac. Morell. edit. p. XXX. et LIX.
(2) Lib. V. p. 246.
(3) Lib. VI. p. 253. (4) Lib. V. p. 246.
(5) V. Strab. libr. VI. p. 281. Vell. Paterc. libr. I. c. 15.
(6) V. Strabon. lib. VI. p. 259. Ph. Cluver. Ital. Antiqu. lib. IV. c. 15.
(7) V. Livium Libr. IV. c. 24. Diodor. Sicul. Libr. XII. c. 76. Strabon. libr. V. p. 243.

terculus loquitur (1), *immutatae*, quin durissimae Romanorum Praefecturae subiectae (2), et a sexto iam Urbis seculo Latinum sermonem publice usurpantes (3), Tiberii tamen aetate, tribus scilicet post seculis, ex quo Latinae factae dici poterant, multos adhuc graecos ritus, multa ornamenta, nonnullas leges, et sacra, ut Strabo tradit (4), servabant, quin ipsam Graecam linguam, ut ex Petronio nostro patet (5), usurpabant, quid, quaeso, de Neapoli tenendum est, quae plane Graeca, ut ita dicam, Adriani principatu appellari poterat?

3. Aiunt porro (6) fieri non potuisse quin mature Neapolitana Graecitas a tanto Romanorum numero qui ad amenissimam Urbem confluebant, corrumperetur. Quin contra inquimus hac ipsa ratione Graecitatem patriam maiori sollicitudine servandam fuisse, quod et superius observavimus. Nam ut ex Cicerone (7), Strabone (8), aliisque constat, Romani ideo omnino Neapolim petebant, quod Graeca erat, quod *molles* essent *Urbis ritus*, ut Silii verbis utar (9), quod non Romanis sed Graecis institutis uteretur, ut et antea dictum est. Notum profecto non hospites externorum et advenarum, sed advenas hospitum mores aemulari, imitari, suscipere. Quin iam vidimus quanto ardore universi Romani Graeca expeterent, et ex iis nedum ingenuos omnes, sed et servos Graecum sermonem cal-

(1) Libr. I. c. 4.
(2) V. Festum v. *Praefecturae*.
(3) Livius Libr. XL. c. 23.
(4) Loc. cit.
(5) Cap. 48.
(6) V. Mazoch. de Eccles. Neapol. semper unic. p. 10.
(7) Pro Rabir. Posthum. c. 10.
(8) Libr. V. p. 246.
(9) Punicor. XII. v. 31.

calluisse. 4. At cur, inquiunt (1), tot latinae Inscriptiones prioribus Christi seculis Neapoli positae occurrunt, si tum ista Civitas Graeca erat? At cur, ego inquam, universi fere Europaei lingua moribusque a Romanis veteribus alienissimi latinas Inscriptiones per tot secula posuerunt, et modo ponunt? Ex latinis autem Neapolitanis Inscriptionibus nonnullae ad Imperii Maiestatem poni potuerunt, quum Cives Romani essent, nonnullae ab iis, qui Romana munera captabant, nonnullae a Romanis ipsis, qui Neapoli morabantur. Contra vero, quum plurimae etiam Graecae Inscriptiones Neapolitanae extent, quae ad quintum saltem seculum excurrunt (2), quis inde graecum sermonem tamdiu heic servatum non videt? Nam si Neapolitani vel lubentes volentesque, vel etiam coacti Graecitatem suam penitus eiurassent et exuissent, Romanumque sermonem ceterosque Latinos mores adoptassent, quid profecto graecae Inscriptiones? Nonne absurdae plane et ineptae? Itane fieri poterat ut amissum sermonem vel abiectum, et quem propterea vel iam ignorarent vel spernerent prae recepto et adoptato celebrare vellent? 5. Quid vero, pergunt, pro diuturna Neapolitanorum Graecitate reponi potest, si Strabo, qui sub Tiberio scripsit, non instituta Graeca, non mores Graecos a Neapolitanis servari dixit, sed tantummodo quaedam morum et institutorum vestigia (3)? Fortasse si diutius vixisset eos factos iam barbaros, nempe plane latinos vidisset. At nollem id summo Viro Alexio Mazochio excidisse (4), qui etsi

(1) V. Mazoch. loc. citat.
(2) V. Martorell. de Reg. Theca. p. 463. et seqq.
(3) Libr. V. p. 246.
(4) De Eccles. Neapolit. etc. p. 102.

etsi Neapolitanae Graecitati infensus, ut Vir tamen prudentissimus non semel fassus est (1) eam Graecitatem ad quartum, quintumve seculum perdurasse. Verum Strabo scripsit servari Neapoli Magistratus Graecos, Agones Graecos, Sermonem Graecum, Gymnasia, Ephebia, Phratrias, et alia huiusmodi, quibus si addideris Leges et Iura graeca, ut ex Papinio didicimus, quid, quaeso, amplius requiritur, ut cuique Graecae Urbi Neapolis possit ex aequo conferri? Strabo autem quum vestigia dixit, et quidem plurima, Romanam Civitatem spectavit, quam Neapolitani susceperant, unde eos Romanos dixit. Nec quidem inepte. Civitas enim primum est politicum populorum substratum, si ita loqui fas est, deque ea praecipua habenda est ratio. Sed iam vidimus quam parum Neapolitanae Graecitati officere Civitas ista potuerit.

VI. *6.* Aiunt tandem inde probe colligi quam mature Graecitas deficere Neapoli debuisset, ex eo quod perspicue ex Cicerone arguatur, Neapolitanorum dialectum aetate sua semibarbaram et hybridam factam, nec amplius Graecam fuisse, sed ex Graeco et Romano sermone coaluisse, et medium quiddam tertiumque evasisse (2). Haec Cicero ad Atticum suum (3): *Quomodo*, ait, *expectabam epistolam, quam Philoxeno dedisses? Scripseras enim in ea esse de sermone Pompeii* Neapolitano. *Eam mihi Patro Brundusii reddidit. Corcyrae, ut opinor, acceperat. Nihil potuit esse iucundius. Erat enim de*

(1) Loc. cit. In Tabul. Heracl. p. *62.* etc.
(2) V. Petr. Summont. Istor. di Napol. Libr. I. cap. *6.* p. 130. Benedict. de Falco in Antiquit. Neapol. p. 35. in Thesaur. Graev. et Burmann. Tom. IX. P. I. Aurel. Alex. Pelliccia de Veter. Eccles. Discipl. Dissert. V. §. ult. p. 178.
(3) Libr. VII. Epist. 2.

de Republica, *de opinione*, *quam is Vir* (Pompeius) *haberet integritatis meae*, *de benevolentia*, *quam ostendit*, *eo sermone*, *quem habuit*, *de triumpho*. Itane vero hîc de hybridâ et corruptâ Neapolitanorum dialecto agitur? Itane quod sermo Pompeii non Romanus, non Graecus, sed Neapolitanus dicitur, ideo Pompeius absurdissimam dialectum usurpabat? O rem plane miram et incredibilem! Et quî fieri potuit ut Vir summus Latinis, Graecisque literis excultissimus, et qui per hoc ipsum tempus epistolas Tullianarum aemulas scriberet (1), ob brevissimam moram Neapoli factam tam turpe et infandum vitium contrahere potuisset, idque Cicero homo familiarissimus, perinde ac si Pompeio per somnium id accidisset, per epistolas et quidem Attici nosset, quibus nil iucundius fuisse testaretur? Age vero corrupta ista et hybrida dialectus eratne universo Neapolitano populo communis, an unius plebeculae propria? Si Plebis quid, cedo, ad Pompeium? Si universi Populi videant isti quam atrocem contumeliam celeberrimae Civitati inurant, ad quam Civitatem vel duobus fere a Pompeio seculis ex tota Italia, et ex ipsa Roma potissimum ingenui et nobilissimi adolescentes ad puriorem et elegantiorem Graecum sermonem perdiscendum confluebant (2). Sed quid plura, si omnino palam est sermonem Pompeii Neapolitanum non linguam esse, non dialectum Neapolitanorum a Pompeio usurpatam, sed orationem vel allocutionem a Pompeio Neapoli habitam? *Sermo* quum pro *dialecto* usurpatur, nullo pacto dici po-

(1) Vid. Libell. Epist. Ciceronis ad Attic. libr. VIII. post Epist. 11. et 12.
(2) V. Stat. Papin. V. Silvar. III. v. 163.

potest *habitus*, ut vel puerulis notum est, nec in eo actum fuisse de laudibus, de benevolentiâ, de triumpho. Sic plane idem Cicero sermonem Pythagorae *Phliasium* dixit (1), non quod Phliasiorum dialectum usurpasset Pythagoras, sed quod Philosophus in Urbe Phliunte sermonem quemdam habuisset. Haudquaquam ergo Cicero de corrupto et hybrida Neapolitano sermone est locutus. Et quî profecto ita loqui poterat, si purum sermonem Graecum Neapolitani Neronis aetate usurpabant, ut ex Svetonio (2), Lucano (3), aliisque colligitur, si aetate Papinii ipsa Neapolitana Plebs elaboratissima Graeca carmina Homericis et Hesiodeis aemula, quum passim praelegerentur vel canerentur egregie intelligebat? Papinius enim de Patre suo loquens Viro graece prorsus doctissimo scribit (4):

Protinus ad Patrii raperis certamina lustri,
Vix implenda Viris, laudum festinus et audax
Ingenii: stupuit primaeva ad carmina Plebes
Euboea, et natis te monstravere Parentes.

Praeterea iam vidimus ex Philostrato Cives nostros Caracallae et Alexandri aetate graeco vulgo sermone usos fuisse. Tandem summus Mazochius noster evidenter ostendit acta Divi Ianuarii Graece primum scripta fuisse, quo Neapolitanus maxime Populus iis uteretur, quod scilicet per quarti seculi initia Graecum adhuc sermonem usurparet (5).

 VII. Quum

(1) Tuscul. quaest. lib. V. c. 4.
(2) In Neron. c. 20.
(3) In Paneg. Pison. cit.
(4) Loc. cit. v. 134.
(5) V. Comment. in vet. Calendar. Eccles. Neapolit. Tom. I. p. 269. Tom. III. p. 966. et seqq. in Vindic. repetit. Actor. S. Ianuar. pag. 58. etc.

VII. Quum igitur vel ad tertium quartumque Aerae nostrae seculum plura Graecitatis vestigia Neapolitani servassent, et contra Petroniana Urbs non modo Latini plane moris, orisque fuisset, sed Graecis etiam quodammodo adversa; perspicuum est eam a Neapoli plane aliam ac diversam extitisse. Quod ut luculentius etiam pateat, animadvertendum est ex ceteris characteribus et notis Petronianae Urbis ne unum quidem Neapoli congruere. Ubi enim hîc Praetores, ubi Duumviri, ubi Seviri Augustales, ubi Lictores, ubi Fasces, ubi Basilica, ubi Curia, ubi Forum latinum apparent? Non monumenta, non Inscriptiones, non Historici, si probe memini, haec instituta Neapoli obtinuisse tradiderunt. Nec dici potest hominum negligentiâ, temporumque iniuriâ omnia amissa fuisse. Nam cur Graeca priora et vetustiora servata sunt? Cur Gymnasiorum, Agonum, Phratriarum, Ephebiorum, Demarchorum, Phrontistarum, Dioecetum, Agoranomorum, Chalcologorum, aliorumque huiusmodi plurimorum memoria ad nos pervenit (1)? Praeterea in explorato est numquam Neapoli Amphitheatrum exaedificatum fuisse, et si nonnulli ex nostris de quodam Amphitheatro in Regione Thermensi posito sunt locuti, docti Viri, inter quos est ipse Ignarra (2), erudite et vere observarunt eo nomine Graecum Stadium, cuius reliquiae diutius perdurarunt, fuisse appellatum (3). Neque insuper peculiare aedificium, quod Romani dicebant *Circum*, hac in Urbe umquam extitisse videtur, nec propterea famosas illas factiones Circen-

(1) V. Capacc. Histor. Neapolit. Libr. I. c. 8. Ignarr. de Phratriis etc.
(2) De Palaestr. p. 120.
(3) Lasena Ginnas. Napolit. Cap. VII. X. etc.

censes obtinuisse . Capaccius quidem (1), ex ipso Papinio (2) colligi autumavit, quod *Circus* Neapoli extiterit; sed quod iam observavit Lasena (3), eum omnino fefellit opinio. Etenim ex Statio adversum et luculentissime evincitur; aetate nempe sua Circum haudquaquam Neapoli extitisse. Quarto exploratissimum etiam est per ea tempora, de quibus agimus, nulla prorsus maritima commercia Neapolitanos exercuisse, nec mercium expediendarum aut emendarum caussa Romam, Siciliam, Africam, Asiam petiisse (4). Ideo Papinius fretum nostrum *imbelle* dixit (5), et undas nostri maris *torpentes* (6). Ideo Horatius (7), Ovidius (8), Seneca (9), Silius Italicus (10), et Papinius iterum (11), Neapolim *desidem* et *otiosam* appellarunt. Atqui maritimum commercium genus vitae maxime actuosum, varium, et sollicitum postulat. Quod si nonnulli Scriptores de maritima Neapolitanorum mercatura locuti videntur (12), ii tempora longe inferiora spectarunt, quum nempe Puteolis a Barbaris vastatis ac pene deletis (13) reliquiae nautarum et negotiatorum, qui Neapolim sese receperant, hîc com-

(1) Hist. cit. Libr. I. c. 17.
(2) III. Silvar. 5. v. 14.
(3) Oper. cit. Cap. VII.
(4) V. Nicol. Fortunato sul Commerc. antico e moderno del Regno di Napoli.
(5) III. Silv. 5. v. 84.
(6) Loc. cit.
(7) Epod. V. v. 43.
(8) Metam. XV. v. 711.
(9) Epistol. 68.
(10) Libr. XII. Punicor. v. 31.
(11) Loc. cit. v. 85.
(12) Cassiodor. Libr. VI. Variar. Epist. 23.
(13) V. Carlett. Descrizion. della Regione abbruciata num. 20. etc.

commercia sua exercere coepissent. Tandem ne in Coloniae quidem cognomine Petronii Urbs et Neapolis nostra conveniunt. Illa enim, ut vidimus, ex Romano Populo deducta fuit, ista vero, si reapse Coloniae cognomen habuit, quod nonnulli negant (1), ex Romanis Civibus deductam haud fuisse videtur. Id enim nec Inscriptiones, nec cetera monumenta, nec Historici docent, absurdumque videtur haud levis momenti rem, si extitisset, ab omnibus silentio fuisse obrutam, vel monumenta omnia, quae eius notitiam haberent, periisse. Quamobrem nobilissimi Scriptores nostri Capaccius (2), Laseni (3), Peregrinus (4), Mazochius (5), eam non deductam, sed *Honorariam* potius Coloniam dixerunt. Quin etiamsi Coloniae *Honorariae* umquam fuerunt, eae nonnisi post secundum Aerae nostrae seculum esse potuerunt. Antea enim plures verae et genuinae Coloniae deductae fuerunt, et *Coloniae* nomen diutissime, ut ex Gellio (6) potissimum observatum est, nativam et propriam suam potestatem servavit. Passim secus putant, sed Gellium perperam interpretantur. Is enim iura quidem Municipiorum et Coloniarum fere aequa esse, ut par erat, scripsit, sed Colonias a Municipiis origine, et interiori ac propria constitutione perspicue discrevit. Quamobrem si Municipia absolute et solemniter Coloniae tum dicta fuissent, et Politicum ordinem turbassent, et Romanam originem inepte ac absurde mentitae fuis-

(1) V. Martorell. de Reg. Theca Libr. II. p. 427. ad 442. Natal. Cimal. Antiqu. Venusin. Lib. I. cap. 5. not. (56).
(2) Hist. Neapol. libr. I. c. 7.
(3) Del Ginnas.
(4) Apparat. alle Antich. di Capua. Discors. H. c. XXI.
(5) De Cathedr. Neapol. Diatr. III. Part. II. c. 3.
(6) Libr. XVI. c. 13.

fuissent? Quid porro Municipia profecissent Coloniarum cognomine adsumto, si aequa fere, quoad Romanam Civitatem, Municipiorum et Coloniarum erant iura? Tum animadvertendum est aliud esse iura Coloniarum suscipere, aliud Romanam Coloniam fieri et praedicari. Verum post seculum Christi secundum, quum nullae amplius Coloniae, vel omnino rarissimae ex Romano Populo deducerentur, quum ab Antonino Caracalla data esset universis Romana Civitas (1), omniumque oppidorum aequata iura viderentur, tum *Coloniae* nominis potestas a nativa vi deflectere coepisset, quod iam dementia illa Commodi ostendit, qui Romam *Coloniam* suam appellabat (2), fieri recte potuit, ut Municipia, quae Romanos aliquot, vel eorum Socios amicosque receperant, vel ad Romanos quodammodo cuiusdam Civitatis partis originem referre poterant, quum Romanae Coloniae nobiliores ob Romanam originem, quam Municipia haberentur, ut et a reliquis Municipiis oppidisque secernerentur Coloniae cognomen vel affectarint, vel a Senatu, aut Imperatore tamquam *per adoptionem* petierint. Quapropter si Inscriptionibus, quae de Neapolitana Colonia exhibentur, aliqua fides habenda est, quam alii negant (3), et ipse Ignarra levem ac tenuem putat (4), ea verisimilior opinio mea sententia, de origine et constitutione Neapolitanae Coloniae est, quam Auctor Dissertationis Isagogicae ad Herculanensia volumina protulit (5), quamvis eam cum opinione Ignarrae, a qua discrepat, confudisse videa-

(1) V. Ezech. Spanhem. in Orb. Roman. Exercit. II. c. 4. etc.
(2) V. Lamprid. in Commod. c. 3.
(3) V. Martorel. et Cimal. loc. citat.
(4) De Palaestr. p. 198.
(5) Pag. 100.

deatur. Is igitur, quum gravi coniecturâ statuisset post Titianam Vesuvii conflagrationem Herculanenses Neapolim fuisse receptos (1), tum collegisset ab Herculanensibus Neapolitanis factis, cuidam Munatio Concessiano haud ante tertii seculi medietatem latinam Inscriptionem fuisse positam (2), ex qua liqueat Neapolim tum non evasisse adhuc Coloniam, quum in ea Graecus Magistratus appareat, quod a Romana πολιτεια plane est abhorrens: Is, inquam, arbitratur, data iam universis a Caracalla Civitate Romanâ, Neapolim ob receptos Herculanenses Coloniae cognomen impetrasse. Quod profecto, et ex eis quae superius diximus, valde probabile fit, tum si animadverterimus id haud factum ante finem tertii seculi, quum Romanis, Puteolanis, ceterisque Campanis Neapolis nostra maxime frequentabatur. Verum quidem est Herculanum haud fuisse Romanam Coloniam, sed Herculanenses facti fuerant municipes Fundani (3), et propterea Romanis propiores, quoad Civitatem, quam ipsae Coloniae. Quin quum Curatores a Tito in Campaniam ad restituendas afflictas Civitates sunt missi (4), quidni Herculanenses Romanis auspiciis, Romanoque ritu, aliquot etiam Romanae originis Civibus immixtis, deduci Neapolim potuerunt? Neapolis igitur, si vere aliquando Colonia solemniter dicta est, nonnisi inclinato tertio Aerae nostrae seculo dici potuit, nempe post seculum fere, ex quo eam constituebat Ignarra. Ergo Petronii Colonia toto Coelo a Neapoli nostrâ alia

ac

(1) Pag. 97. etc.
(2) Pag. 98. etc.
(3) V. Differt. cit. p. 56.
(4) Sveton. in Tito c. 8.

ac diversa est; nec notam unam unumque characterem communem praeseferunt.

VIII. Et re quidem vera Petronius ipsemet Neapolim exclusit, eamque a Colonia sua aliam esse ac diversam perspicue prodidit. Agamemnon Rhetor, quum in Coloniae Scholâ declamasset, haec porro ad Encolpium aliosque Scholasticos habuit (1):

Artis severae si quis amat effectus,
Mentemque magnis applicat, prius mores
Frugalitatis lege poliat exactâ . . .
Et sive armigerae rident Tritonidis Arces,
Seu Lacedaemonio Tellus habitata Colono,
Sirenumve Domus, *det primos versibus annos,*
Maeoniumque bibat felici pectore fontem.
Mox et Socratico plenus grege mutet habenas
Liber, et ingentis quatiat Demosthenis arma.
Hinc Romana manus circumfluat, et modo Graio
Exonerata sono mutet suffusa saporem . . . .
Grandiaque indomiti Ciceronis verba minetur.

Adolescentibns scilicet Coloniae suae praecipit Agamemnon, ut si genuinam Romanam eloquentiam assequi velint primis annis Graecis Poetis dent operam, quod et alii praeceperunt (2), et maxime Homero; tum Socraticâ philosophiâ imbuti in Demosthenem incumbant, et Graece declament, ut Graeco sono exonerati ad Romanum transire possint, et Ciceronem imitari. Utque id recte fieri possit eos hortatur, ut non in Colonia, ubi nulli fortasse vel ignobiles tantummodo Praeceptores erant, Graecis studiis dent operam, sed petant vel Tritonidis Arces, vel Urbem habitatam a Lacedaemonio Colono, vel Domum tandem Sirenum. Atqui Interpretes, et

(1) Cap. 5.
(2) V. Quintilian. lib. 1. c. 4. etc.

et literatissimi Viri plures Arces Tritonidis Athenas interpretantur; Terram habitatam Lacedaemoniis Colonis, vel Tarentum, vel Spartam; *Domum* autem *Sirenum* Neapolim (1). Et id quidem, quod unum modo nostra interest, dubio procul verissime. Nam quis dubitare potest, quin *Domus Sirenum* hoc loco unice Neapolis dicenda sit? Mittemusne adolescentulos ad Graecas literas addiscendas ad quosdam scopulos et petras, quas Sirenusas appellant (2), vel etiam ad Surrentum, quod Sirenum muros Papinius appellaverit (3)? Scilicet in oppidum Campanum, Coloniam Romanam, ut iam superius observavimus, et quod Graecis praeceptoribus ita carebat, ut Cives suos Neapolim ad graeca studia adsequenda mitteret, ut Papinius, quem mox adducemus, scribit? Sed Neapolis vere *Domus Sirenum* fuit, neque eas modo, quaecumque tandem fuerint, excepit, sed ab eis aliqua ex parte exaedificata fuit, et diutissime unius Sirenis monumentum, a qua nomen habuit, summa religione coluit et servavit (4): Dignumque observatu est Dionysium Alexandrinum in Periegesi (5) Neapolim *μελαθρον* ipsum, *Domum* nempe Sirenis appellasse. Neapolis autem una maxime inter nostrates Graecos ita Graeca studia servavit et coluit, ut non modo Tarento, sed ipsis Athenis opponi quodammodo potuisset. Unde vulgo *docta* et *facunda* prae-

(1) V. Petr. Burmann. ad hunc loc. Petron. Martorell. de Reg. Thec. p. 362. etc.
(2) V. Virgil. V. Aen. v. 864. Strab. I. p. 22. V. p. 257.
(3) II. Silvar. 2. v. 1.
(4) V. Lycophron. in Alexandra v. 70. Strabon. lib. I. p. 23. 26. lib. V. p. 246. Sil. Ital. Pun. XII. v. 33. Plinium lib. III. hist. nat. c. 5. Servium ad Virgil. Georg. IV. v. 564. V. Et. Anton. Sillam Fondaz. di Partenope.
(5) V. 357.

praedicabatur (1). Quin circa ea tempora de quibus loquimur Athenaeum quoddam, et graecarum Musarum Gymnasium erat, ad quod ingenui adolescentes ex universa fere Italia confluebant. Haec Papinius de Patre suo, qui iam Neronis aetate florebat (2):

Hinc tibi vota Patrum credi, generosaque Pubes
Te monitore regi, mores et facta priorum
Discere; quis casus Troiae, quam tardus Ulysses:
Quantus equos pugnasque virûm decurrere versu
Maeonides, quantumque pios ditârit agrestes
Ascraeus, Siculusque senex, qua lege recurrat
Pindaricae vox flexa lyrae, volucrumque precator,
Ibycus, et tetricis Alcman cantatus Amyclis,
Stesichorusque ferox, saltusque ingressa viriles
Non formidata temeraria Leucade Sappho:
Quosque alios dignata Chelys. Tu pandere doctus
Carmina Battiadae, latebrasque Lycophronis atri;
Sophronaque implicitum, tenuisque arcana Corinnae.
Sed quid parva loquor? Tu par assuetus Homero
Ferre iugum, senosque pedes aequare solutis
Versibus, et numquam passu breviore relinqui?
Quid mirum Patriâ si te petiere relictâ,
Quos Lucanus ager, rigidi quos iugera Dauni;
Quos Veneri plorata domus, neglectaque tellus
Alcidae, vel quos e vertice Surrentino
Mittit Tyrrheni speculatrix Virgo profundi:
Quos propiore sinu lituo remoque notatus
Collis, et Ausonii pridem laris hospita Cyme?
Quosque Dicarchaei portus, Baianaque mittunt
Littora, qua mediis alte permixtus anhelat

D d *Ignis*

(1) V. Columell. libr. X. de R. R. v. 134. Lucan. Panegyr. in Pison. v. 92. Martial. libr. V. epigr. 79. v. 13. etc.
(2) V. Silv. III. v. 146.

et cognomentum Augustaeum aut Neroneum accepit (1). Verum iam a Bello Punico secundo ita incolis accolisque Romanis frequentari coeperat, ut non Graeco et veteri, sed Latino et novo nomine vulgo deinceps appellaretur (2). Iam tum sane bene sex millium Romanorum militum praesidium ibi constitutum fuit (3), tum tricenae familiae (4), et paullo post alii forte trecenti Coloni missi (5). Quin Augustus porro et alios Colonos deduxit (6), et alios quoque, ut credere par est, ipse Nero. Praeterea fuerunt Puteoli celeberrimum Romanorum Emporium, agerque eius magnificentissimis Romanorum villis, quae pagis erant similiores, plenus (7). Cives ergo Puteolorum sub Nerone maximâ saltem ex parte vel Romanae erant, vel Latinae originis. Equidem fateor Puteolos origine Graecos fuisse, sed navale tantum Cumanorum fuerant, et antiquitus parvum omnino oppidum (8). Quod si Osca vicinia, ut ait Paterculus (9), magnas Cumas immutavit, quid de oppidulo dicemus? Et ita profecto Puteolis graeca studia defecerant, ut si vulgares fortasse Praeceptores excipias, qui ubique vel penes Barbaros tum occurrebant, Puteolani adolescentes per hanc ipsam aetatem Neapolim, ut ex Papinio vidimus, ad

† Grae-

(1) V. Capacc. Histor. Puteol. c. 3.
(2) V. Strabon. lib. V. p. 245.
(3) V. Livium lib. XXIV. c. 13. vel 4.
(4) Liv. lib. XXXII. c. 20.
(5) Liv. lib. XXXIV. c. 45.
(6) V. Frontin. de Colon.
(7) V. Strabon. loc. cit. Ciceron. ad Attic. lib. V. Epist. 2. lib. XIV. Epist. 17. etc. Scipion. Mazzell. de situ et antiquit. Puteolor. etc.
(8) V. Strabon. loc. cit.
(9) Lib. I. c. 4.

Graecas literas perdiscendas mitterentur. Quamobrem iure Cicero ad Atticum scribebat (1): se in Villa sua Puteolis proximâ *pusillam Romam* habuisse, concursum nempe incredibilem Romanorum et Latinorum, qui Puteolos, et vicina loca incolebant: Et iure etiam docti Viri observarunt Puteolanos imitari Romanos adfectasse (2), quod fortasse illa fascium Trimalchionis insolentia, de qua Petronius loquitur (3), spectat. Nam fasces erant tantummodo Romanorum Consulum, et Capuani, qui antiquitate et nobilitate Urbis suae vix Romanis concedebant, a Cicerone, quod adsumserint, redarguuntur (4). En igitur Latina Petronii Urbs, en Petronii Colonia, qua Romanae leges, Romani mores, Romana omnia occurrant. Et re quidem vera, ut plane aequum erat, pleraque monumenta, et inscriptiones supersunt, quae Puteolanos Praetores, Puteolanos Aediles, Seviros Augustales, Lictores, et alios huiusmodi plures nobis exhibent: Tum ipsas epulas plebi datas, et gladiatoria munera (5). Et observatu dignum est in quodam vetere Lapide apud Muratorium (6) legi Sevirum Augustalem Puteolanum Nauclerum esse, et commercia maritima exercere, ut ipsum tu Trimalchionem quodammodo intuearis. Fuisse autem Curiam, fuisse Basilicam, iusque ex Romanis legibus datum ex Inscriptionibus etiam patet (7). Fuisse Theatrum palam est

(1) Lib. V. Epift. 2.
(2) V. M. le Beau quatr. memoir. sur les medaill. de Restitut. Tom. XXIV. Mem. de literat. de l'Academ. des Inscr.
(3) Cap. 30.
(4) I. Orat. Agrar. c. 34.
(5) V. Inscript. apud Reines. Gruter. Murator. Capacc. Hiftor. Puteol. c. 2. Ignarram de Palaeftr. p. 162.
(6) Pag. CXCV. 3.
(7) V. Capacc. oper. cit. c. 2.

est (1), et Gellius refert (2) quemdam Anagnosten canora voce legisse in Puteolano Theatro Ennii annales, ut apud Petronium in Theatro versus suos Eumolpus recitasse fingitur. Extitisse Circum et Nostri uno ore docent (3). Fuisse vero Amphitheatrum, et ipsis oculis nostris usurpamus, nedum Taciti (4), Dionis (5) aliorumque testimoniis egemus. Nec leve est fuisse Puteolis viam quamdam *ad monumenta* appellatam, eodem plane nomine, quo via apud Petronium dicitur (6). Tandem quis nescit celeberrima commercia navibus Puteolanos exercuisse, eaque ipsa loca de quibus Petronius agit, Italiam nempe, Siciliam, Africam, Asiam negotiationis caussa lustrasse? Puteolis commercii gratia stationes habuerunt plures Gentes Hierapolitani puta, Berytenses, Tyrii, Alexandrini (7): ideoque opus fuit, ut in Asiâ ac Africâ et suas haberent Pnteolani. Quumque et *Delum minorem* Puteolos passim Veteres appellassent (8), *Maximum Emporium* Strabo (9), eius *litora Mundi hospita* dixisset Statius (10), aequum est, ut saltem intra Mediterraneum ad merces permutandas Puteolani, Romanique incolae accolaeque excurrerent. Et re quidem vera plurimas fuisse Puteolanorum onerarias naves ex Dione

(1) Capacc. oper. cit. cap. *9*.
(2) Libr. XVIII. cap. 5.
(3) Capacc. oper. cit.
(4) Anal. XVI. c. 37.
(5) Libr. LXIII. exc. a Xiphil.
(6) Cap. *62*.
(7) V. Reines. Class. X. Inscript. 5. Ignarr. de Buthys. Agon. ad Palaestr. Capacc. Hist. Puteolan. c. 1.
(8) V. Festum in *minorem Delum*.
(9) Lib. V. p. 245.
(10) III. Silv. 5. v. 76.

ne (1), et Svetonio (2) colligitur; frequentesque fuisse Puteolanos Mercatores Alexandriae, et in Aegypto ex Strabone patet (3). Praeterea et modo Puteolis huiusmodi Inscriptio extat, quam Maffeius (4), Ignarra (5), aliique ediderunt:

L. CALPVRNIO L. F. C. CALPVRNIO L. F.
CAPITOLINO
MERCATORES QVI ALEXANDR. ASIAI SYRIAI
NEGOTIAN.

Scilicet ut palam est Puteolani qui in Aegypto, Asia, Syria negotiantur, non vero negotiatores Asiatici Syri etc., ut parum apte Ignarra interpretatur (6). Tandem qui meminerit Puteolanum portum emporiumque ex universis Italicis portubus, emporiisque longe celebriorem fuisse, tum incredibilem Romanorum Italorumque numerum maritimae mercaturae per Siciliam, Africam, Asiamque universam tum operam dedisse (7), nullo pacto dubitari potest, quin plures Puteolani cives maritima commercia per Siciliam, per Africam, Asiamque exercuerit. Ergo evidens est Petronii Coloniam Puteolos quidem, non vero Neapolim extitisse, ideoque Ignarrae argumentum, quod in genuinam Petronii aetatem urgebat, funditus ruere.

§. III.

(1) Libr. LIX.
(2) In Caligul. c. 19.
(3) Libr. XVII. p. 793.
(4) In Museo Veronens. p. 478.
(5) De Buthys. Agon. ad Palestr. p. 289.
(6) Loc. cit.
(7) V. Anton. de Torres Memor. Apologet. del Commercio e coltura dei Romani. Period. II. Part. I. cap. 7.

§. III.

Refelluntur argumenta, ex quibus Cl. Ignarrae ceterisque visum fuit Neapolim esse Petronii Coloniam.

I. Maximum momentum quod urgent, ut ostendant Petronianam Coloniam ipsam Neapolim nostram esse huiusmodi est (1) : Colonia, qua Trimalchionis coena instruitur *Graeca Urbs* a Petronio dicitur: Atqui una tantummodo Neapolis in Puteolano sinu et dicta et habita est Graeca: Quid, dicemus Puteolos Graecam Urbem? Argumentum invictum! Et quomodo non viderunt, se pugnantia prorsus ac absurda complecti? Si Petronii Colonia Romana est, et plane ex Latinâ regulâ regitur, quomodo *Graeca Urbs* appellabitur, et si Graeca est moribus et institutis, qua immani repugnantiâ mores omnes, instituta omnia ita Latina sunt, ut nihil habeant Graecitatis, et ipsi Graeculi habeantur externi? Si Neapolis Petronii aetate Graecismum exuerat, quomodo Graeca erit, et si non exuerat, quomodo erit Latina? Hac in re maxime impeditus Ignarra pugnantia et ipse complexus est, quumque diu clamasset iam Neapolim penitus eiurasse Graecitatem, laborat ut ex Strabone, aliisque Scriptoribus eam tum esse Graecam colligeret (2). Unde etiam subdit: *Attamen si Puteolos hic intelligeremus, quid Graecismo fieret? Petronius autem Graecam urbem omnino significat*. Atqui si Ignarra saltem ex ordine et conditionibus opinionis suae loqui voluisset, istam *Graecam Urbem*,

(1) V. Ignarr. de Palestr. p. 184. etc.
(2) Oper. cit. p. 186. 187.

bem, quam dicunt, non Neapolim, sed Puteolos praedicare debuisset. Etenim ut tenebat Petronii aetate extinctam Neapoli Graecitatem, et Gymnastica studia plane deleta, sic contra meminisse debebat, et plures graece doctos tum Puteolis Stationes habuisse, et Graeca Gymnasia, Agonesque celeberrimos floruisse, de quibus ipsemet egerat (1). Circa locum autem Petronii quatuor omnino, ut arbitror, dici possunt. Primum nempe quod Petronius Lectores ludere voluisset, confusisque locorum proprietatibus et circumstantiis nos decepisse. Secundo verba esse corrupta. Tertio Petronium non statum conditionemque praesentem Coloniae spectasse, sed omnino praeteritam, et eius tantummodo originem primam. Tandem aliam forte a vulgari sententiam in eius verbis latere. Si primum dicitur, quamvis id vix in ullius mentem cadere posse arbitrarer, nos tamen haud vehementer tangeret. Nam nihil amplius ex Petronio desumetur, quod in novarum Fabellarum Auctorem urgeri possit. Si alterum, nihil etiam in argumentum nostrum deduci potest. Equidem Petronii verba haud praefracte corrupta affirmarem, sed fieri potuit, ut essent. Nam praeterquamquod tantam repugnantiam gignunt, ex universis Latinis Scriptoribus nemo ullus magis vitiatus, corruptus, luxatus ad nos pervenit, quam Petronius. Si tertium tum bellissime Puteoli erunt Graeca Urbs. Etenim, quod et superius innuimus, palam est ex Strabone (2), Silio (3), Stephano (4), Eusebio (5), Festo

(1) Oper. cit. pag. 145. 229. et de Buthys. Agon.
(2) Libr. V. pag. 245.
(3) Libr. XII. Punic. v. 159.
(4) In Δικαια et Ποτιολοι'.
(5) In Chronic. ad Olymp. LXIV.

sto (1), aliisque pluribus Puteolos oppidum origine Graecum fuisse, Graecumque Municipium appellatum. Quin Graecum nomen suum Dicaearchia passim et diutius servavit, ut ex Silio iterum (2), Plinio (3), Statio (4), Petronio etiam (5), atque aliis compluribus patet. Quamobrem si Coloniam Graecam Urbem Petronius dixit, non dixit, quod Graeca sermone, Graeca moribus, institutisque esset, quum eam Latinissimis moribus instructam ubique exhibeat, sed ut externam originem, et quaedam peregrinitatis initia exprobraret, quod revera et ipse Cicero Puteolis fecisse videtur (6). Hanc autem interpretationem, qui Ignarrae opinioni favent reiicere non possunt. Nam ipsa Neapolis quum ex sua opinione plane deposuisset et penitus eiurasset Graecitatem, nullo pacto, nisi ob originem, et veteri initia dici potuit Graeca Urbs.

II. Sed ad quartum accedamus, tentemusque an Petronii verbis alia, quam vulgo putatur, sententia subsit. Petronianus Encolpius tum a Cinaedo suo, tum a Socio in quodam Coloniae diversorio relictus (7), quum id aegerrime ferret, et vereretur, ne ibi solus, sine sociis nempe, ab amicis notisve agnosceretur, collectis sarcinulis ex illo diversorio exiens in aliud secretius et proximum litori commigravit: Ibique triduo inclusus, quod solus esset, desertusque a Sociis proclamabat (8): *Aufugi iudicium, arenae imposui, hospitem occidi, ut*

E e *inter*

(1) In *minorem Delum*.
(2) Libr. cit. v. 107.
(3) Libr. III. Hist. c. 5.
(4) Silvar. II. 2. v. 96. 110. 135. etc. etc.
(5) Specim. Bell. Civil. v. 68.
(6) I. Tuscul. quaest. c. 35.
(7) V. Cap. 80.
(8) V. Cap. 81.

inter audaciae nomina, mendicus, exsul in diversorio Graecae Urbis *iacerem desertus*? Tum aliis additis, quo solitudinem suam et contemtum in improbos Socios vindicaret gladio latus cingit, in publicum prosilit, furentisque more omnes Coloniae Porticus circumit. Hîc autem si adiicimus animum Encolpius non dicit iacere se desertum in Graeca Urbe, sed in diversorio Graecae Urbis: scilicet, ut ego arbitror, in diversorio, quod esset in iure et usu Graecae Urbis, sed in ipsa Colonia, vel in eius finibus positum. Notum sane est et apud Veteres in magnis Urbibus vel Oppidis stabula et diversoria fuisse, quibus alienigenae reciperentur, et diverterent, qui alterius sermonis institutorumque essent: Quamobrem, ut modo Neapoli diversoria sunt, quae omnino inscribuntur Mediolani, Florentiae, Venetiarum, ita Puteolis esse potuit diversorium, quod Graecae Urbis diceretur, nempe Neapolis, quae in proximo erat, et veluti κατ' ἐξοχὴν sic poterat appellari: Et quomodo ego, qui Neapoli sum, dicere recte possum me iacere in diversorio Mediolanensis, vel Florentinae Gentis; ita Encolpius Puteolis dicere poterat, se iacere desertum in Diversorio Graecae Urbis. Quod autem Neapolitanis peculiaria stabula et diversoria Puteolis fuerint utriusque Urbis magnitudo, et propinquitas dubitare nos non patitur: Quum potissimum notum sit mutuo invicem commercia exercuisse (1): et Emporiorum natura ea sit, ut qui bene mercari cupiunt in iis maneant, et Stationes certas habeant. Hanc autem interpretationem plura insuper suadent. Nam primum quum illud *Graeca Urbs* ad invidiam pla-

(1) V. Vargas Macciucca delle Colonie Fenic. in Napoli §. 365.

plane ab Encolpio sit dictum; gentemque alienigenam et invisam significet, id de universâ Coloniâ sumi nequit, quae nec alienigena erat, nec invisa sibi esse poterat. In eâ declamaverat, in eâ benigne exceptus fuerat, in eâ liberaliter ad coenam habitus. Quod si Colonia invisa erat, cur statim inde non abiit, quin contra cur in eâ mansit etiam lubentissime? Praeterea quum Encolpius locum secretum quaereret, et quidem ne ab amicis agnosceretur, nil satius eligere poterat, quam diversorium Graecae Urbis. Nec urgeri potest tum scribendum fuisse Graecae Gentis vel Civitatis, non Urbis. Nam quis nescit saepe τo *Urbs* pro habitatoribus et incolis sumi? Quintilianus (1): *Emendare Urbes iudiciis*: Et alibi (2): *Regere consiliis Urbes*. Statius (3): *Lymphata Urbs horroribus*. Lucanus (4): *Armata Urbs*. Virgilius (5): *Vicinae Urbes arma ferunt*: Alibi (6): *Invadunt Urbem somno vinoque sepultam*. Tandem Cicero (7): *Infestae Urbes Imperio*. Quin scribendum fuit Petronio *Urbis*, non Gentis vel Civitatis. Nam *Gens* nimis genericum erat, et ambiguitatem pariebat. *Civitas* politicum tantummodo systema significat, et servos excludit, libertos, peregrinos, advenas, hospites. Ast Urbs et cives et servos et libertos et peregrinos et hospites complectitur, et diversorium non ad Cives Graecos, sed ad Urbem Graecam spectare poterat. Nam non uni Cives in eo exci-

(1) Proem. Libr. I.
(2) Libr. cit.
(3) Thebaid. X. v. 55.
(4) II. Phars. 574.
(5) I. Georg. 510.
(6) II. Aen. v. 265.
(7) III. in Catilin. c. 21.

excipi poterant, quin servi potius, liberti, ceterique negotiatores. Petronius igitur τῷ *Graecae Urbis* Neapolim quidem spectare potuit, sed a Colonia sua plane aliam et diversam. Quod si ista interpretatio minus arridet, et quis velit ipsam Coloniam dictam esse *Graecam Urbem*, ego pertinacissime haud repugnarem. Attamen, si quid Petronii locum facimus, ad illud totum negotium recidet, ut scilicet, quod iam dicebamus, Coloniam Graecam Urbem non propter graecos mores, graecas leges, graecaque instituta dixerit, sed omnino ob graecam originem: et tum, ut etiam diximus, ista Graeca Urbs erunt ipsi Puteoli.

III. 2. Inde vero iterum Petronii Coloniam Neapolim esse autumant, quod is de quadam *Cryptâ* meminerit (1): Perinde ac si τὸ *Crypta* penes omnes Scriptores absolute et κατ' ἐξοχὴν Neapolitana fuisset. Sed observandum erat, quod, etiamsi de ista Crypta locutus fuisset Petronius, ea ad Puteolos etiam referri poterat, unde modo nomen habet, quum potissimum ea tempestate sat longo intervallo a Neapolitanis moeniis distasset. Id ipsemet Ignarra fassus est (2): *Enimvero*, ait, *etsi Crypta, quam memorat Arbiter propius Urbi Neapoli, quam Puteolis accedat, ea tamen quia inter utramque Urbem excurrit, aeque commode ad Puteolos referri poterat*. Et quum in fragmentis Saturae legatur (3): *Satis constat eos nisi inclinatos non solere transire Cryptam Neapolitanam*: Si haec in Colonia dicta fuerunt, palam est Neapolim excludi. Sed ubinam Petronius de ista sive Neapoli-

(1) V. Ignarr. de Palaestr. p. 187.
(2) Oper. cit. p. 184.
(3) V. Petron. edit. Burmann. p. 870.

litana sive Puteolana Crypta locutus est? Haec quidem Encolpius (1): *Dum loquimur* (in Diversorio Coloniae) *sera sponte delapsa cecidit, reclusaeque subito fores admiserunt intrantem. Mulier autem erat operto capite . . . Ego sum*, ait, *ancilla Quartillae cuius vos sacra ante* Cryptam *turbastis. Ecce ipsa venit ad Stabulum . . . Nolite perturbari, nec accusat errorem vestrum, nec punit: Imo potius miratur, quis Deus Iuvenes tam urbanos in suam regionem detulerit*. Sacra autem de quibus agitur sunt sacra Priapi, mysteria secretissima et religionis infandae. Quartilla sic Encolpium et socios alloquitur (2): *Imprudentes, ut adhuc puto, admisistis inexpiabile scelus . . . . . maior in praecordiis dolor saevit, qui me usque ad necessitatem mortis deducit: ne scilicet iuvenili impulsi licentiâ, quod in sacello Priapi vidistis vulgetis, Deorumque consilia proferatis in populum. Protendo igitur ad genua vestra supinas manus, petoque et oro ne nocturnas religiones iocum risumque faciatis, neve traducere velitis tot annorum secreta, quae Mystae vix omnes noverunt*. Denique respondet Encolpius (3): *Uterque nostrum religiosissimis iuravit verbis, inter nos periturum esse tam horribile secretum*. Quis ergo putaverit tam secreta, et horrenda mysteria in Cryptâ Neapolitanâ vel ante eam haberi peragique potuisse, quae ingenti sumtu ac labore data opera effossa fuerat, ut viatoribus pateret, et revera patebat, ut ex ipso Petronio vidimus, et ex Seneca etiam liquet (4)? Itane infanda religio in publicis viis celebrari poterat, et sacra arcana apertis

(1) Cap. 16.
(2) Cap. 17.
(3) Cap. 21.
(4) Epist. 57. V. et Strab. lib. V. p. 449. Edit. Amstel. 1652.

tis et profanis in locis? Ubinam Priapi sacellum ante Cryptam constitui potest, locusque commodus, quo Mystarum frequentia excipi possit? Quin si Petronii locus diligenter, ut par est, expenditur, omnino luculenter apparet, eam Cryptam in ipsâ Coloniâ extitisse, haud longe fortasse a venalitio foro, et diversorio Encolpii, in ipsa regione Quartillae. Id acute vidit Vir doctissimus Alexius Pelliccia (1), quamvis eam et ipse Neapoli quaerendam putaret. Et quidni profecto Cryptae in Urbibus? Iuvenalis (2):

Et solitus mediae Cryptam penetrare Suburrae.

Svetonius in Caligula (3): *Quum in Crypta per quam transeundum erat pueri nobiles ex Asia ad edendas in Scena operas evocati praepararentur, ut eos inspiceret Caius hortareturque restitit.* Tum Vitruvius (4): *Qui fructibus rusticis serviunt in eorum vestibulis stabula, tabernae, in aedibus* Cryptae, *horrea, apothecae.* Quid autem satius ad ea mysteria celebranda, quam huiusmodi Cryptae, loca nempe abscondita, subterranea, profunda; ut aeque infanda et secreta Bacchanalia in abditis specubus celebrata fuisse Romae Livius scribit (5)? Neque vero difficile esse potuit Encolpio in eiusmodi *Cryptam* penetrare, sive propinquitate loci, ut videtur, sive a frequentia Mystarum in suspicionem adductus, sive quod aliquis conscius secretum prodidisset, sive tandem, ut interdum fit, casu. Quin praetereundum non est in vexatissimo Pe-

(1) De Christian. Eccles. Polit. Dissert. V. de Coemet. Neapol. §. II. p. 35.
(2) Satyr. V. v. 106.
(3) Cap. 58.
(4) Libr. VI. de Architect. c. 8.
(5) Libr. XXXIX. cap. 8. 9. 10.

Petronii loco doctissimos Viros non *sacra ante Cryptam*, sed sacra ante *Cryptica*, vel *sacram* ante *Cryptam* legere (1).

IV. Tertio Ignarra (2) cum Burmanno (3), Martorellio (4), et Scriptore Dissertationis Isagogicae (5) Petronium de Herculanensi Oppido singillatim meminisse autumat, atque inde indigitatam, et circumscriptam Neapolim arbitratur. Verum utrumque temere. Quod ut luculenter pateat res paullo altius est repetenda. Encolpius et Giton antequam in Coloniam pervenirent in navi fuerunt cuiusdam Lycae Tarentini, qui maritimam mercaturam exercebat (6). Nescio autem quibus facinoribus in Lycam et uxorem eius perpetratis aufugerunt (7), et in Coloniam appulerunt. Aliquamdiu post, ut errare huc illuc placebat, ab socio Eumolpo in idem navigium ignari atque imprudentes inducuntur, et versus Tarentum navigant. Errore detecto gravissimo terrore corripiuntur, ne debitas tandem maleficii poenas luerent: Et revera post quasdam concertationes agnoscuntur (8). Hîc autem Encolpius (9): *Volebat Triphoena misereri, sed Lycas memor adhuc uxoris corruptae, contumeliarumque, quas in* Herculis porticu *acceperat, turbato vehementius vultu proclamavit: Deos immortales rerum humanarum agere curam puto . . . Eos ad poenam ipse Deus deduxit . . : Tam supersti-*

(1) V. Petron. ex edit. Burmann. etc.
(2) De Palaestr. p. 188.
(3) Ad Petron. cap. 106.
(4) De Reg. Theca pag. 710.
(5) Pag. 95.
(6) Cap. 107.
( ) Cap. 113.
(8) Cap. 105.
(9) Cap. 106.

stitiosa oratione Triphoena mutata negat se interpellare supplicium, imo accelere etiam iustissimae ultioni, nec se minus grandi vexatum iniuria, quam Lycam, cuius pudoris dignitas in concione proscripta sit. Ubinam quaeso hîc Herculaneum apparet, vel quae aequa coniectio est, ut illo *Herculis porticu* denotetur? Quidni Herculis porticus genus illud aedificii fuit, quod frequentissime Veteres domibus suis, et potissimum Deorum templis adiiciebant? Quid facilius, quid pronius, quid verisimilius? Notum est Herculis Porticus et Romae et Tiburi fuisse (1), nec dubitari potest, quin ceteris Dei Templis quoque fuerint. Contumeliae autem illae, et illa praesertim concio, ut parum apte in oppido dicerentur habitae, sic proprie et rectissime in Porticu. In porticibus enim Veteres declamabant, in porticibus recitabant versus, in porticibus coibant, et fabulabantur, in porticibus etiam pulchrae scitaeque mulieres spatiabantur (2). Sic in porticibus Coloniae declamat Encolpius (3), in porticibus recitat Agamemnon Rhetor (4), in porticibus spatiantur Cives (5). Quum autem Triphaena, quam Lycas pro uxore habebat, ardenter amaret Gitonem Encolpii cinaedum, et aliquando in ipsum Encolpium propensior fuisset, factum ut simultates gravissimae orirentur, et Encolpius irae impotens Triphaenam et Lycam per porticus ubi cives congregabantur exagitaret. Quaerere equidem non sum sol-

(1) V. Sveton. in August. c. 72. Martial. Libr. V. Epigr. 51. v. 12. Publ. Victor. Region. 9. etc.

(2) V. Propert. libr. II. Eleg. 18. v. 55. Ovid. I. de Pont. VIII. v. 65. II. IV. v. 18. libr. II. Trist. 285. Martial. III. Epigr. 20. VII. Epigr. 75. 96. XI. Ep. 1. etc. Iuvenal. Satyr. I. v. 12. etc., etc.

(3) Cap. 3. (4) Cap. 6. (5) Cap. 90.

sollicitus ubinam istud negotii factum fuerit, sed probabile videtur non longe a Baiis, ubi Templum Herculis fuit celeberrimum (1) accidisse. Lycas namque ad Triphaenam: *Videbatur mihi*, ait (2), *secundum quietem Priapus dicere: Encolpion quem quaeris scito a me in navem tuam esse productum.* Et contra Triphaena: *Et putes, inquit, una nos dormiisse, nam et mihi simulacrum Neptuni, quod Baiis in Peristilio notaveram videbatur dicere, in navi Lycae Gitona invenies.* Verum esto, ponamus illis verbis *in Herculis porticu* Herculaneum spectasse Petronium. Quid tum? Erit ergo Neapolis Petroniana Colonia? Mirumne Lycam divitem negotiatorem Herculaneum appulisse, expeditisque ibi negotiis suis Puteolos celeberrimum emporium petiisse? Mirumne Encolpium et Gitonem quum aliquamdiu Herculanei morati fuissent, sive terrestri sive maritimo denuo itinere ad Puteolos magnam et frequentissimam Urbem contendisse? At quomodo potius non vidit Ignarra hanc ipsam levissimam coniectionem argumento suo adversari, nec nisi in nostra de Petronii aetate sententia teneri posse? Ubi enim post annum Christi LXXX. quod de Pompeiis iam diximus, Herculaneum fuit, ubi porticus? Et quidquid dicant, de quodam pago quod ibi deinceps surrexerit (3), si Herculaneum vel florentissimis temporibus oppidulum fuit, ut observavimus (4), si Cives Neapo-

(1) V. Propert. I. Eleg. 11. v. 2. III. Eleg. 16. v. 4. Silium Ital. lib. XII. v. 118. Serv. ad Virgil. VI. Aen. v. 107. Symmach. libr. I. Epist. I. Scip. Mazzell. de Sit. et Antiquit. Puteolor. Cap. XXII.

(2) Cap. 104.

(3) V. Auct. Dissert. Isag. loc. cit.

(4) Cap. II. Sect. I. §. 1. num. 4.

polim sunt recepti; si universus ager pumicibus lapidibusque ignitis ad plurimos pedes plane obrutus fuit (1), quis ostenderit infra seculum a Tito ibi tale oppidum surrexisse, ita locum portuosum factum, ut Lycas ad commercia exercenda appulerit, et Triphaena, Encolpius, Giton, qui magnas Urbes et loca celeberrima ad quaestum victumque quaerebant, ibi aliquamdiu morati fuerint, et ea quae innuimus egerint?

V. Quarto alium limitem quo Neapolim circumscribat ex his Petronii verbis desumit Cl. Ignarra (2): *Nemo*, clamat urbanus Conviva (3), *nemo Coelum Coelum putat . . . antea stolatae ibant nudis pedibus in* Clivum, *passis capillis, mentibus puris, et Iovem aquam exorabant, itaque statim urceatim pluebat*. Iste Clivus, ait Ignarra, est collis Neapoli imminens, qui modo dicitur *Capo di Chino*. Itane vero, inquam, *Clivus* κατ' ἐξοχην est Neapolitanus? Nonne in singulis fere oppidis atque agris *Clivi* extiterunt, qui ut modo montes, colles, valles, et alia huiusmodi absolute, sic ab indigenis Civibus appellarentur? Quidni *Clivus* aliquis Puteolis etiam? Et si Petronianus Clivus ad Capitolini Clivi imitationem, quem κατ' ἐξοχην *Clivum* appellant Horatius (4), et Ovidius (5), dictus fuit, quid pronius iudicare, quam et Puteolis celeberrima Romanorum Colonia sacrum quemdam Clivum extitisse? Notum sane est quanta cura rerum locorumque Matris Patriae memoriam servent Coloniae,

(1) V. Dissert. Isagog. citat.
(2) Pag. 189.
(3) Cap. 44.
(4) IV. Carm. Od. 2. v. 35.
(5) Libr. I. Fastor. v. 250.

niae, unde ipsum Capitolium praeter Capuam (1) aliasque propinquiores Urbes, Carthaginiensis et Illiberitana Colonia in Africa et Hispania constituerunt (2). Praeterea nescio an omnes in *τω Capo di Chino*, *Clivum* absolute inveniant. Plures certe huic etymo haud acquiescent, quum iste locus etiam *Caput de Chio*, et *Caput de Chiu*, et *Caput Plii* in veteribus membranis nuncupatum observaverit diligens Patriarum rerum scrutator Laurentius Iustinianus (3). Sed urget Ignarra: Istud *Capo di Chino* dicitur etiam *Pichiuovi*, quod factum videtur a *τῳ Pluvio Iovi*; en *Aquaelicium*, en *Nudipedalia* Petronii. Sed ne in ineptiis moremur animadvertendum est *το Pichiuovi* plusquam mille passibus a *Capo di Chino* distare, illudque cognomen a quadam familia obtinuisse, ut prolatis monumentis laudatus Iustinianus opere mox edendo ostendet (4).

VI. Tandem quum apud Petrônium legisset Cl. Ignarra, quod Encolpius locum secretum et proximum litori sibi conduxisset (5), inque Pinacothecam porticibus instructam pervenisset (6): tum Philostratum scribentem deprehendisset (7); se in Neapolitano suburbio ad mare posito Porticum variis tabulis insignem introisse, statim arguit Petronii Coloniam nostram esse Neapolim (8): *Videri*, ait, *ut utrumque diversorium tum Petroniani*

* *En-*

(1) V. Sveton. in Tiber. Cap. 40.
(2) V. D. Cyprian. Epist. 55. et libr. de Lapsis. Act. Concil. Illiberit. ann. 325. Cap. 59. Thom. Dempster. Paralipom. ad cap. 5. libr. I. Antiqu. Roman. I. Rosini.
(3) Dizionar. Geograf. Ragion. del Regno di Napoli in *Capo di Chino*.
(4) Fiumi, Laghi, Fonti, Monti, e Vulcani del Regno di Napoli. Artic. *Capo di Chino*.
(5) Cap. 81.
(6) Cap. 83.
(7) In Proem. Icon.
(8) Pag. 192.

Encolpii, tum Philostrati prorsus unum idemque fuerit. Utrumque ad mare vergebat, utrobique porticus, et ingens picturarum copia. Sed temere iterum Ignarra iudicat. Ponamus enim Encolpii et Philostrati Pinacothecam utramque ad mare sitam, utramque porticibus instructam, bona fide quaererem an id sit satis, ut utramque *unum idemque* esse teneamus? Quidni, quum et Pinacothecae et Porticus passim tum ponerentur, duo Pinacothecae altera Neapoli, altera Puteolis ad mare esse potuerunt? Sed quorsum haec si perspicuum est Encolpii et Philostrati Pinacothecas alias inter se diversasque fuisse? *In Pinacothecam*, ait Encolpius (1), *perveni vario genere tabularum mirabilem . . .* (2). *Ex his qui in porticibus spatiabantur lapides in Eumolpum recitantem miserunt. At ille qui plausum ingenii sui noverat operuit caput, extraque Templum profugit. Timui ego ne et me Poetam vocarent. Itaque subsecutus fugientem ad litus perveni, et ut primum extra teli coniectum licuit consistere: Rogo, inquam, quid tibi vis cum isto morbo? Minus quam duabus horis mecum moraris, et saepius poetice quam humane locutus es. Itaque non miror si te populus lapidibus prosequitur . . . Movit ille vultum, et o mi, inquit, adolescens non hodie primum auspicatus sum; imo quoties theatrum, ut recitem aliquid intravi hac me adventitia excipere frequentia solet*. Ex his autem patet primum Pinacothecam Encolpii vel in Templo, vel ad Templum fuisse positam, et propterea publici iuris. Secundo vel aliam plane a Porticibus, vel eis tantummodo proximam. Tertio Pinacothecam, et diversorium non in suburbio quopiam, sed plane in ipsâ Coloniâ fuisse sita. Id

(1) Cap. 83.

(2) Cap. 90.

Id enim ostendit frequentia illa coëuntium in porticus; tum qui in Porticibus Eumolpum lapidant, ii sunt qui et in Theatro, et in balneis, ut alibi dicitur (1), lapidant, et plausus iste Eumolpo notus erat, et ideo ii simpliciter *populus* ab Encolpio dicuntur: Praeterea in diversorio Encolpii narrat paullo post Eumolpus (2), quomodo eum per omnes angulos Urbis quaesierit, ut et Asciltos Gitonem. Philostratus autem haec scribit ex versione Olearii: *Extra moenia, Neapolis, diversabar in suburbio ad mare vergente, in quo Porticus quaedam Favonio vento obversa exaedificata erat quatuor ut puto vel quinque contignationibus . . . Refulgebatque ea et lapidibus, quoscumque luxus commendat, maxime vero picturis splendebat, quas, ut mihi videtur, non sine studio collegerat aliquis*. Scilicet Pinacotheca erat ipsa Porticus non vero ad Porticus, ut illa Petronii, nec ad Templum, et quidem ut videtur privati iuris, tum erat extra Urbem, non in Urbe ut illa. Itane ergo Pinacothecae et diversoria Encolpii et Philostrati unum sunt et idem?

VII. Atque haec sunt quibus Ignarrae aliisque Scriptoribus nostris persuasum fuit Neapolim fuisse Petronii Coloniam, quae quum ita levia sint, immotum, quod antea ostendimus, manet, Coloniam scilicet Petronii aliam a nostra Neapoli extitisse, et propterea, quod caput erat, praecipuum Ignarrae argumentum in Neronianam Petronii aetatem plane ruisse. Quin vero et aliud nobis argumentum, quo magis magisque genuinam Petronii aetatem firmemus ista disputatio suppeditavit. Etenim quum iam ab ipso Ignarra (3) observatum sit num-

(1) Capit. 91. 93.
(2) Cap. 92.
(3) De Pal. p. 207.

numquam Petronium ne levissimam quidem Gymnasiorum mentionem iniecisse, quum omnino, si in Coloniâ extitissent, iniicere debuisse videatur: Tum notum sit et Neapoli et Puteolis sub Antonino Pio, et Adriano etiam celeberrimos Graecos Agones et Gymnasia propterea floruisse (1): Evidenter consequitur ante aetatem Antoninorum et ipsius Adriani Petronium floruisse. Qui autem quinquaginta fere annis ante Adrianum Petronium constituit, iam Neronis adtigit principatum.

S E C T I O II.

Reliqua in Neronianam Petronii aetatem Cl. Ignarrae argumenta refutantur.

I. SEd pergamus, et cetera, quae in vetustiorem Petronii aetatem doctissimus Ignarra urget persequamur. 2. Petronianus Eumolpus: *Et ego*, ad Encolpium ait (2) *Poeta sum, et ut spero, non humillimi spiritus, si modo coronis aliquid credendum est, quas etiam ad imperitos deferre gratia solet.* Ex his autem haec arguebat Ignarra (3): Primum scilicet agi hîc de coronis, quibus in certaminibus et agonibus Poetae donabantur. Tum Eumolpum in Agone Neapolitano, utpote Graeco, coronari non potuisse: Nec in Neroniis: Nam quum ea bis tantummodo celebrata videantur, coronato in prioribus Nerone (4), coronari in alteris Eumolpus non

(1) V. Ignar. de Palestr. pag. 143. 145. 229. de Buthysiae Agone etc.
(2) Cap. 83.
(3) Pag. 206.
(4) Tacit. Ann. XIV. c. 20. Sveton. in Neron. c. 12.

non potuit; Nam semel coronatus fuisset. Atqui Petronius non *coronâ* scripsit, sed *coronis*. Quamobrem opus est, ut in Agone Capitolino a Domitiano instituto, quique diutissime perduravit, coronatus Eumolpus dicatur. Ego vero primum quaererem an omnino exploratum sit Petronium de agonalibus coronis fuisse locutum. Id profecto neque hîc neque alibi perspicue proditur. Quamobrem haud inepte dici potest eas fuisse Eumolpi coronas, quas Populus, Nobiles, Mecaenates, Sodales Poetis, et quidem in mutuis interdum certaminibus impertiebant (1). Sic Horatius (2):

Offenduntur enim quibus est Equus, et Pater, et res,
Nec si quid fricti ciceris probat et nucis emtor,
Aequis accipiunt animis, donantve coronâ.

Tum in primo Satyrarum (3):

. . . . . . haec ego ludo,
Quae neque in aede sonent certantia Iudice Tarpa,
Nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris.

Et Epistola ad Iulium Florum (4):

. . . . . . Seu condis amabile carmen,
Prima feres hederae victricis praemia.

Ovidius autem se omnino a Getis coronatum fuisse his versibus tradidit (5):

Tempora sacratâ mea sunt velata coronâ,
Publicus invito quem favor imposuit.

Et fuisse etiam Romae, his aliis versiculis indicavit (6):

Si

(1) V. Carol. Paschal. de Coron.
(2) Art. Poet. v. 248.
(3) Satyr. X. v. 37.
(4) Lib. I. Epist. 3. v. 24.
(5) IV. ex Pont. Epist. 14. v. 55.
(6) Trist. I. Eleg. 7. v. 1.

Si quis habes nostris similes in imagine vultus,
Deme meis hederas Bacchica serta comas.
Ista decent laetos felicia signa Poetas,
Temporibus non est apta corona meis.

Neque vero istae coronae promiscue omnibus Poetis praebebantur. Horatius coronam suam vocat praemium, et doctarum quidem frontium (1):

Me doctarum hederae praemia frontium
Dis miscent superis.

Et Virgilius in Eclogis (2):

Pastores hederâ crescentem ornate Poetam
Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro.

Tum Iuvenalis ad huiusmodi coronandi morem certe spectans scribit (3):

Frange miser calamos, vigilataque praelia dele,
Qui facis in parva sublimia carmina cella,
Ut dignus venias hederis et imagine macrâ.

Propertius tandem (4):

Rusticus haec aliquis tam turpia praelia quaeret,
Cuius non hederae circumiere caput.

Sic igitur vel sub Augusto et Tiberio coronari saepius Eumolpus potuisset. Quin potius Petronianus Eumolpus, sive vera persona, sive ex veritate et ex temporis circumstantiis efficta ponitur, quum iam senex exhibeatur non alteris modo Neroneis coronari potuit, sed eo etiam certamine, quod Caligula instituit, quo de Romana Graecaque facundia, ut Svetonius tradit (5), est decertatum, et propterea pluribus coronis donari. Nec quis dicat Historicum *facundiae* quidem, non vero Poesis me-

(1) Carm. I. Od. 1. v. 29.
(2) Eclog. VII. v. 25.
(3) Satyr. VII. v. 27.
(4) Libr. II. Eleg. 4. v. 25.
(5) In vit. c. 20.

meminisse. Nam prorsa et versa oratio quoad eloquentiam unum idemque sunt, et propterea Tacitus Neronem *primas latinae facundiae* sustulisse simpliciter scribit (1), quum ex Svetonio pateat eum et Carmine dictum fuisse victorem (2). Et re quidem vera huiusmodi certamina maxima ex parte poematis celebrabantur.

II. Age vero ponamus Petronium ad agonales coronas omnino respexisse, quidni in Graecorum agonibus pluries coronari potuit Eumolpus? Quod Poeta Latinus. Atqui Claudius Imperator Latinus Scriptor in Neapolitanis Agonibus coronatus est (3): Et Petronius Poesim, qua victor Eumolpus evaserat nullo pacto Latinam fuisse aperte constituit. Quin si in Romanis Agonibus certamina erant Graecae facundiae (4), valde probabile est in Graecis fuisse etiam certamina Romanae facundiae, profecto ad Maiestatem Imperii, et quod Graeca gens adulandi esset prudentissima (5). Praeterea quidni tenere possumus Eumolpum in alteris Neroniis coronatum fuisse, deque istis coronis se apud Petronium iactare? Quod *coronis* non *coronâ* scriptum fuerit? Rem miram! Si Petrarcha, si Perottus, si alius quivis semel tantummodo coronatus, ad Petronianum modum loqui voluisset, nonne ipsissima ei Petronii verba usurpanda erant? Quumque generatim locutus fuisset Petronius, et ea subdidisset: *quas coronas etiam ad imperitos deferre gratia solet*: etiamsi dimidiâ coronâ, sit verbo venia, donatus fuisset Eumolpus, alio pacto rem exprimere non poterat.

 Prae-

(1) Annal. XIV. c. 21.
(2) In Neron. c. 12.
(3) V. Sveton. in vit. c. 11.
(4) V. Sveton. in Neron. c. 12.
(5) Iuvenal. Satyr. III. v. 86.

Praeterea palam est etiam passim Latinos Scriptores de unicâ tantummodo coronâ, *coronas* non coronam scripsisse. Horatius (1):

. . . . Potus ut ille
Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas.

Propertius (2):

Et modo solvebam nostrâ de fronte corollas;
Ponebamque tuis, Cynthia, temporibus.

Ovidius (3):

Saepe potens voti frontem redimita coronis
Femina lucentes portat ab Urbe faces.

Et alibi (4):

Tempora subtilibus cinguntur tota coronis.

Quin propius Martialis (5):

Tarpeias Diodorus ad coronas
Romam quum peteret Pharo relictâ.

Tandem quum Tacitus de prioribus Neroneis agens scripserit (6): *Eloquentiae primas nemo tulit, sed victorem esse Caesarem pronuntiatum*: Martialis de Capitolino Agone loquens (7) dixerit:

O cui Tarpeias licuit contingere quercus,
Et meritas prima cingere fronde comas.

Et alii plures similia: perspicuum videtur, secundas etiam, tertiasve fortasse partes fuisse, quae coronâ donarentur: Quumque notum sit plures in Agonibus propositas fuisse coronas, eorumque numerum auctum quandoque vel minutum (8): Factum fortasse fuit, ut in uno Poetarum certamine non

(1) Lib. II. Satyr. 3. v. 255.
(2) Libr. I. Eleg. 3. v. 21.
(3) III. Fastor. v. 269.
(4) Lib. V. v. 235.
(5) Lib. IX. Epigr. 41.
(6) Loc. cit.
(7) Libr. IV. Epigr. 54.
(8) V. Sveton. in Neron. c. 22. in Domitian. c. 4.

non una; sed plures coronae proponerentur, quae iis tribuerentur, qui in Comoedia puta, Tragoedia, Odis, Epico carmine maxime excellerent, vel secundas tantummodo obtinerent: Ideoque fieri potuit, ut unus idemque Poeta secundas in priori Agone, primas in altero obtineret, vel plures etiam coronas, ob plura carminum genera quibus excelluit, in uno eodemque Agone recipere potuit. Ex illis igitur Petronii verbis nihil omnino in constitutam Petronii aetatem argui potest. Quin licet addere nonnullos clarissimos Interpretes coniicere, quod illis coronis Neronem ipsum per *gratiam* coronatum tetigerit Saturae Auctor et vellicaverit (1), quod revera minime a vero abludit.

III. 3. Autumat porro Ignarra (2) Petronium de Sibyllae Cumanae sepulcro aliquando meminisse (3); quumque ante Iustinum Martyrem et Pausaniam, qui sub Antoninis Imperatoribus floruerunt, nullum Scriptorem extitisse dicat, qui de huiusmodi monumento mentionem iniecerit, inde arguit Petronium ante Antoninorum aetatem vivere non potuisse. Haec vero Iustinus (4): *Hanc Sibyllam Babylone ortam, Berosi qui Chaldaicam historiam scripsit filiam, ad Campaniae oras nescio quomodo pervenisse ferunt, ubi responsa dedit in Urbe cui Cumae nomen est. Vidimus sane ea in Urbe* (*Cumis*) *quum essemus, locum quemdam, ubi Basilicam ingentem uno fabrefactam saxo conspeximus, rem profecto maximam et admiratione omni dignissimam ubi oracula eam* (Sibyllam) *edidisse, qui res patrias a maioribus suis quasi per manus traditas ac-*

(1) V. Petron. edit. Burman. ad hunc locum.
(2) De Pal. pag. 211.
(3) Cap. 48.
(4) Cohort. ad Graec. p. 35. edit. Colon. 1686.

ceperant affirmabant. In media autem Basilica illi nobis ostenderunt tria solia ex eodem excisa lapide, quibus aqua repletis lavisse ibi eam, et stolâ sumtâ in penitissimam se Basilicae aedem eodem extructam saxo abdere, atque in media ea aede super sublimiore gradu, et throno considere solitam, et sortes ad eum modum promulgasse dixerunt. Huius Sibyllae tamquam fatidicae, cum permulti alii meminerunt Scriptores, tum etiam Plato in Phaedro.... Quin ipsi quoque quum in ea Urbe essemus Indicibus, qui hospites ad ea quae visenda sunt ducere solent ostendentibus, qui nobis loca etiam in quibus illa est vaticinata commostrarunt, vidimus loculum quemdam ex aere elaboratum (σακον τινα χαλκȣ κατασκευασμενον) *ubi reliquias eius* (τα λειψανα) *servari dicebant. Insuper inter alia omnia quae Indices isti exposuerunt illud quoque fuit a maioribus se audivisse, quod qui responsa ab oraculo excipiebant, quia tum ab eruditione alieni fuissent multoties in accuratiore numerorum observatione erraverint.... Porro quum non in poeticis numeris, Viri Graeci, res veri cultus Dei sint sitae ... ad dicta Sibyllae citra contentionis studium animadvertentes cognoscite tandem quorum illa bonorum vobis futura sit conciliatrix Servatoris nostri Iesu Christi adventum disertis verbis clare praedicens.* Ista autem Pausanias (1): *Iam post illam Erythraeam Sibyllam, eam quae fatidica etiam fuit e Cumis, quae sunt in Opicis, et Demo nomine, fuisse appellatam Hyperochus Vir Cumanus scripsit. Eius tamen feminae praedictionem* (χρησμον) *omnino nullam Cumani habuerunt, quam cuiquam ostenderent; Ostendunt tantummodo urnulam in Apollinis tem-*

(1) In Phocic. seu libr. X. p. 328. edit. Francof. 1583.

templo lapideam (λιθε δευδριαν ε μεγαλην) *in ea Sibyllae condita esse ossa dictitantes*. Ita quidem. Verumtamen cum primis reponerem Scriptorum silentium in re praesertim de qua agitur haud multi esse momenti. Ii enim ineptum et futile commentum ignorare potuerunt, vel consulto preterire. Tum Strabo, Plinius, Tacitus, Svetonius, quos adducit Ignarra (1), quomodo de eo sepulchro meminissent, si de universis nobilissimis Cumis pauca verba faciunt, et praestantissima certe plura scituque dignissima praetereunt? Quin si ex Ignarrae opinione Iustini auctoritati standum est, si Iustinus quae retulit, ex veritate et ipsa rerum fide retulit, quis dubitare potuerit, quin Sibyllae sepulcrum Neroniana saltem tempora adtigerit, et propterea ipsum Iustinum idoneum plane horum temporum Scriptorem et testem advocari posse? Nonne, cedo, satis vetus ille φακος dicendus est, satis vetus mirabilis illa Basilica, satis vetusta illa Oraculorum loca, satis veteres tantae illae traditiones a maioribus veluti per manus transmissae, ut ipsum Iustinum unâ tantummodo hominis aetate praecesserint? Praeterea si ipsius Ignarrae coniectioni credendum est (2) non Neronis modo aetate Cumanae Sibyllae sepulcrum celebre fuit, sed vel tribus fere seculis ante Christum natum. De eo enim meminisse ait Aristotelem in libello de admirandis auditionibus, quem illi tribuit (3) quum in eo scripserit (4): *Cumis in Italia ferunt ostendi thalamum subterraneum* θαλαμον καταγειον *Sibyllae fatidicae*. Hoc autem

(1) Pag. 214.
(2) Pag. 212.
(3) Loc. cit.
(4) V. infr. Ariſtot. Oper. T. II. p. 726. edit. Paris. 1639.

tem thalamum ipsum Sibyllae sepulcrum teneri commode posse Ignarra existimavit.

IV. Haec profecto ad Ignarrae obiectum dissolvendum sunt satis: Verum bona fide agamus, veritatique non caussae serviamus. Fabella de Sibyllae Cumanae Sepulcro circa secundi seculi initia revera primum orta videtur: non modo sane, quod vetustiores Scriptores de eo non meminerint, sed quod plures ex eis mentionem iniicere debuisse videatur, si extitisset. Ovidius (1), Silius Italicus (2), Papinius (3) data opera de Sibylla Cumana egerunt, numquam vero sepulcrum illud spectarunt. Quin per alios percrebuit Fabula, ut paullo post dicemus, eam in auras evanuisse, nulloque propterea eguisse sepulcro. Praeterea tum vere ortum commentum videtur quum Christiani, et Gentiles mirum quantum illi de Sibyllinis oraculis, isti de libris quaererent, laborarent, et decertarent. Et exploratum sane est haud ante seculi primi finem Oraculorum Sibyllinorum libros, de quibus dubio procul loquebatur Iustinus in lucem emissos fuisse (4). Tertio maxima repugnantia et contradictio, quae inter Iustinum et Pausaniam Scriptores aequales coaevosque intercedit commentum plane recens, noviterque effictum luculenter evincit. Etenim si per unum tantummodo seculum ante Iustinum Sibyllae sepulchrum celebrari coepisset, eaque Basilica, illa solia, illae aedes per Italiam, Graeciamque fieri nota, et Interpretes

(1) Metam. XIV.
(2) Libr. XIII. Punicor. v. 400. et sequ.
(3) IV. Silv. 2.
(4) V. Isaac. Vossium de Sibyllin. Orac. c. 8. Servat. Gallaeum de Sibyllis Cap. XXI. Andr. Galland. Prolegomen. in Biblioth. maxim. Patrum. Cap. XVI. etc.

tes illi ac Indices adesse frequentes hospitibus, quomodo fieri potuisset, ut duo, qui iisdem fere annis scriberent, deque rebus iisdem tam immaniter invicem discreparent? Iustinus scribit sepulcrum fuisse vas quoddam lenticulare, Pausanias hydriam: Ille vas aereum, iste lapideum: Iustinus innuit sepulcrum in Basilica fuisse, quae ipsi Sibyllae fuisset posita, Pausanias perspicue scribit in Apollinis Templo fuisse: Ille scribit plurima Sibyllae oracula a Cumanis prodi, iste nulla omnino. Sed Iustinus est oculatus testis. Ita quidem: sed Pausanias et subacti iudicii Vir, et spectatae probitatis est auctor, nec aliquid esse potuit, cur nos fallere voluisset. Iustinus autem homo certe sanctissimus et candidissimae fidei, sed credulus, facilis, ad fabulas valde proclivis nullo negotio a quopiam circulatore Cumano decipi potuit, et ineptissimis mendaciis fidem adhibere. Ita quidem etiam credebat Sibyllam Cumanam filiam fuisse Berosi, et ex Babylone Cumam adventasse, de hac locutum Platonem, aliosque multos, eamque de Iesu Christo vaticinatam, quae ineptiae sunt. Tum Iustinus qui ea omnia Cumis viderat, viderat etiam Romae, et certo quidem loco statuam positam Simoni Mago (1), quam Semoni Sango Deo Fidio ibidem erectam prudentiores omnes Critici tenent (2). Necnon ipsis oculis suis usurpaverat Iustinus septuaginta illorum cubiculorum ruinas in Pharo, in quibus seorsim septuaginta Hebraei Interpretes in Sacra Biblia Graeca sub Ptolemaeo Philadelpho fecissent (3). Quae Fabella non exsufflari modo, sed ri-

(1) In Apolog. II. p. 69. Edit. cit.
(2) V. Gallaeum libr. cit. cap. XV. Liberat. Fassen. de Graec. Sacrar. Literar. Edit. p. 27. 28. etc.
(3) Cohort. ad Graec. p. 24. Edit. cit.

rideri a D. Hieronymo ceterisque doctis Viris meruit (1). Quum igitur Iustini et Pausaniae aetate Fabulae de Sibylla Cumana tam variae et incertae fuissent, dubitari non posse videtur quin recentis omnino essent originis. Tandem ille thalamus subterraneus Auctoris admirandarum auditionum haudquaquam Sibyllae sepulcrum notare potest. Nam hoc positum erat in Basilica, et Thalamus ille est *καταγειος*, domus scilicet, habitaculum, sive celebre illud Sibyllae Antrum. Et ita quidem. Nam secundum quorumdam doctorum Virorum interpretationem statim subdit Auctor in eo diutissime virginem degisse Sibyllam.

V. Hactenus cum Ignarra convenimus: Sed meminitne revera Petronius de sepulcro Cumanae Sibyllae? Haudquaquam profecto, mirarique plane subit, quomodo et Ignarra, et Interpretes Petronii rem plane perspicuam et manifestam non viderint. Haec enim Trimalchionem suum loquentem Petronius inducit (2): *Nam Sibyllam quidem Cumis ego ipse oculis meis vidi in ampulla pendere: Et quum illi pueri dicerent:* Σιβυλλα τι θελεις; (*Sibylla quid vis?*) *Respondebat illa:* Αποθανειν θελω. (Cupio mori). Ubinam autem hîc Sibyllae Sepulcrum apparet? Tantine laboris tantaeque difficultatis erat urnulam quamdam conspicere? Tantane admiratione, tantoque hiatu referre Trimalchio poterat se, seipsum, ipsis oculis suis quodpiam sepulcrum quod plerisque circumstantium notum esse poterat vidisse? At Trimalchio non Sibyllae sepulcrum, sed ipsam plane Sibyllam oculis suis vidisse ait. Et ita profecto. Nam nec pueri interrogare defunctam poterant, quid vellet cuperetque, nec mortua

(1) V. Fasson. loc. cit. (2) Cap. 48.

tua respondere interrogantibus poterat, et quidem quod mori cupiebat. Trimalchio igitur de Sibylla adhuc vivente omnino est locutus. At quid hoc monstri est inquies? Scilicet monstrum est, sed plane quod monstrum est ad rem facit, et est Trimalchione, Convivisque illis, quibus narratur, dignissimum. Is enim non modo totius genuinae historiae, et sanioris literaturae infans et rudis exhibetur, sed omni etiam plebeia superstitione, omnique puerili praeiudicio imbutus. Molestum sane est singula persequi (1): Dicam tantummodo quod, quum ad lautissimam eius coenam, quidam Conviva ut testis plane oculatus, quique rei interfuerat socii sui metamorphosim in lupum distinctissime narrasset (2), maximam Fabulae fidem Trimalchio adhibuit, et mox ipsemet rem sub ipsis etiam oculis suis factam narravit (3): Sagas nempe et Striges quemdam eviscerasse, et extorum loco *manuciolum* quoddam stramentorum supposuisse. Nonne cedo facilius fuit Sibyllam, quam Striges videre, vel hominem lupum factum et versipellem? In profundo enim et tenebricoso antro ex dubia incertaque luce, quae huc illuc reflecteretur facile quamdam imaginem, et phantasma propendulum oculorum praeiudicio se vidisse putare quis poterat; ut pariter ex turbido et confuso echo paucissima graeca verba prolatis similia et respondentia se praeiudicio aurium exaudiisse.

VI. Hoc autem oculorum, auriumque praeiudicium mentis maxime praeiudicio nitebatur et fovebatur, quum ex vetusta et constanti Fabula tra-

 de-

(1) Vid. Capit. 48. 49. 50. 51. 52. 59. etc.
(2) Cap. 62.
(3) Cap. 63.

deretur: Sibyllam in Cumano antro receptam diu oracula edidisse, tum senem factam invidia Apollinis sic vitam diutissime continuasse, ut quotidie statura et magnitudine decresceret; et minor fieret, et mori cupiens vitam tandem veluti in nuda voce continuare cogeretur. Ovidius in doctissimo Metamorphoseôn opere haec ipsam Sibyllam loquentem inducit (1):

Lux aeterna mihi caritura que fine dabatur,
Si mea virginitas Phoebo patuisset amanti.
Dum tamen hanc sperat, dum praecorrumpere donis
Me cupit: Elige, ait, Virgo Cumaea, quid optes:
Optatis potiere tuis. Ego pulveris hausti
Ostendens cumulum, quot haberet corpora pulvis,
Tot mihi natales contingere vana rogavi:
Excidit ut peterem iuvenes quoque protinus annos.
Innuba permaneo. Sed iam felicior aetas
Terga dedit, tremuloque gradu venit aegra senectus,
Quae patienda diu est. Nam iam mihi secula septem
Acta vides, superest numeros ut pulveris aequem.
Tercentum messes, tercentum musta videre.
Tempus erit quum de tanto me corpore parvam
Longa dies faciet, consumtaque membra senecta,
Ad minimum redigentur onus, nec amata videbor,
Nec placuisse Deo: Phaebus quoque forsitan, ipse
Vel non agnoscet, vel dilexisse negabit.
Usque adeo mutata ferar, nullique videnda,
Voce tamen noscar, vocem mihi fata relinquent.

Servius autem in Virgilii Aeneidem (2): *Hanc Sibyllam*, ait, *Apollo pio amore dilexit, et ei obtulit poscendi quod vellet. Illa hausit arenam manibus, et tam longam vitam poposcit. Cui Apollo respon-*

(1) Libr. XIV. v. 132.
(2) Ad libr. VI. v. 321.

spondit id posse fieri; si Erythraeam Insulam in qua habitabat relinqueret, et eam numquam videret. Profecta igitur Cumas tenuit, et illic defecta corporis viribus vitam in solâ voce retinuit. Quod quum Cives eius cognovissent, sive invidia, sive miseratione commoti ei epistolam miserunt creta antiquo more signatam, quâ terrâ visâ quia erat de eius Insula in mortem resoluta est. Praeterea Plutarchus in libello de Pythiae oraculis, quemdam de Cumana Sibylla, ut patet, sic loquentem inducit: *At Sibylla furente ore, ut ait Heracletus, risus, ornatus, et fuci expertia sonans Dei beneficio vocem ad mille annos continuat.* Phlaegon Trallianus Adriani Imperatoris libertus mille pariter annos Sibyllae tribuit (1); et Auctor admirandarum auditionum eam πολυχρονιωτατην maxime scilicet longaevam appellat (2). Ipsam autem Sibyllam Cumanam de sese haec cecinisse fingitur (3):

Corporis hanc animam misera de compede solvet(Apollo),
Infestâ carnem ferus interimetque sagittâ.
Et mea tum liquidas anima ut transibit in auras
Auribus humanis vento permixta volucri,
Fata canet caecis ambagibus obscurata.
At supra matrem corpus deforme iacebit
Tellurem: neque enim id quisquam mandare sepulcro;
Ingestaque volet mortalis condere terra.
Quae laxata calore meum tamen inde cruorem
Hauriet, hinc varias fecundaque proferet herbas,
Unde iecur pecudum subiens vis certa futuri,
Consilia ostendet gnaris occulta Deorum,
Atque meas carnes subeunt quae saxa volucres;
Quum carpent, ventura procul mortalibus edent.

Fa-

(1) De mirabil. et Longaevis.
(2) Int. Oper. Arist. Tom. II. p. 726.
(3) Apud Phlaegon. loc. cit.

Facillime ergo fieri potuit ut Claudii et Neronis aetate Cumana plebs, et rudes pueri adhuc tenerent Sibyllam suam haud penitus interiisse, sed ad quoddam breve onus redactam in quadam veluti ampulla pendere et mori velle. Atque en profecto ut aliud et pulcherrimum argumentum paratum nobis est, ut genuinam Petronii aetatem magis magisque firmemus. Etenim si exploratum est commentum de Sibyllae Cumanae sepulcro primum sub finem primi Aerae nostrae seculi exortum fuisse: Si Petronius de eo sepulcro haudquaquam locutus est, quum loqui plane debuisset, si aetate sua extitisset, perspicuum est Petronium ante finem primi seculi floruisse: quumque Nero triginta fere annis ante ipsum seculi finem vixerit, aequum videtur, ut saltem ad huius Imperatoris aevum aetas eius constituatur.

VII. 4. Pergit autem Ignarra, quumque semel apud Petronium mentio occurrisset (1) cuiusdam Graeculi Mathematici, qui in Coloniam adpulsus praeterita et futura Trimalchioni aperuerat; illico inde aevum Antoninorum arguit (2), perinde ac si eâ unâ aetate Astrologi invaluissent. Sed quandonam tam turpi morbo mortales caruerunt? Quodnam seculum ineptae dementiae expers fuit? Tacitus qui sub Vespasianis iam florebat, et de Othonis aetate loquebatur: *Mathematici*, ait (3), *genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in Civitate nostra et vetabitur semper et retinebitur*. Praeterea nullam Petronius Ignarrae occasionem praebuit suspicandi, quod aetate sua maxi-

(1) Cap. 76.
(2) De Pal. pag. 209.
(3) Histor. I. c. 22.

xime et latissime Chaldaeorum ars invaluerit. Nam illius Graeculi adventus ut insolens et paucis notus refertur, ita ut omnino videatur eum unum saltem per aliquot annos in Coloniam pervenisse. Unus autem Mathematicus, qui insolenter etiam in quamdam Urbem apparet haud profecto ostendit artem suam late obtinere, et magnopere celebrari. Fateor quidem aliter fieri potuisse in maximis et populosissimis Urbibus, in quibus omnium vitiorum colluvies plenissimo alveo confluat: Attamen nos de iis, quae facta legimus, non de iis quae fieri tantummodo potuerunt iudicare debemus. Verum etsi ponamus perspicue ex Petronio argui, quod aetate sua Chaldaeorum ars maximopere invaluerit, si totam aetatem, quae ab Augusto ad Septimium Severum decurrit inspiciamus, numquam eam artem magis quam sub Tiberio, Claudio, Nerone, eiusque coaevo et familiarissimo Othone celebratam fortasse inveniemus. Tum apud Imperatores, tum apud primores Urbis, tum gravissimis rebus impliciti, tum immanibus factis caussam praebentes Astrologi et Chaldaei occurrunt (1). Factum quidem Senatusconsultum sub Tiberio, quo ii Urbe et Italia pellerentur (2): Sed frustra. Nam ipsemet Tiberius eis pepercit (3), et paullo post maiorem fere in numerum apparent, et ita procaces fiunt, ut Imperatori palam mortem denuntient (4). Et quidni tot Astrologi tum fuissent si ipse

(1) V. Tacit. Annal. II. c. 27. III. c. 22. VI. c. 20. 21. XII. c. 22. 52. 68. XVI. c. 14. Sveton. in Caligul. c. 19. et 57. in Neron. c. 40. etc.

(2) V. Tacit. Ann. II. c. 32.

(3) Sveton. in Tiber. c. 36.

(4) Tacit. Ann. IV. c. 58.

ipse Tiberius habebatur siderum prudentissimus (1), et stipatus quotidie erat Chaldaeis?

. . . Visne . . . tutor haberi
Principis angusta Caprearum in rupe sedentis
Cum Grege Chaldaeo (2)?

Factum porro et aliud Senatusconsultum in Chaldaeos sub Claudio: Sed, ut Tacitus scribit (3), pariter irritum. Quin ex hoc ipso quod ex Urbe excedere iubentur, qua pleraque infanda patienter ferebantur (4), evidenter et eorum numerus et eorum audacia et artes arguuntur. Et re quidem vera Agrippina Claudii uxor, ut idem Tacitus tradit (5), *molitur crimina in Lolliam, et accusatorem qui obiiceret Chaldaeos, Magos, interrogatumque Apollinis Clarii simulacrum super nuptiis Imperatoris*. Eadem (6) *Agrippina crebro vulgabat ire in melius valetudinem Principis* (Claudii), *tempusque prosperum ex monitis Chaldaeorum adventaret*. Tum de Imperio filii sui Neronis diligenter etiam Mathematicos consuluerat (7). Poppaea autem Othonis et Neronis uxor multos secum Astrologos habuerat, *pessimum*, ut ait Tacitus (8), *Principalis matrimonii instrumentum*. Habuit et Otho, quos secum *in Hispaniam*, seu potius in Lusitaniam, duxit, et ab eis ad nova molienda plerumque impulsus fuit (9). Quid est autem quod arguat Septi-

(1) Tacit. Ann. V. c. 20. etc. Dio libr. LVII. p.615. edit. Hanov. 1606.
(2) Iuvenal. Satyr. X. v. 93.
(3) Ann. XII. c. 52.
(4) V. Tacit. Ann. XV. c. 44.
(5) Ann. XII. c. 22.
(6) Lib. cit. cap. 68.
(7) Ann. XIV. c. 9.
(8) Histor. I. c. 22.
(9) Tacit. loc. cit. Sveton. in Othon. c. 4.

ptimii Severi aetate, qua Petronium scripsisse autumant, Chaldaeorum artem aeque Romae atque in Italiâ invaluisse? Scilicet, ut scribit Ignarra (1), *quod consuetudo Ciendi dies Planetarum Lunae, Martis, Mercurii etc. nominibus, tum primum in usu civili invaluit*? At id non dixit Dio Cassius, cuius auctoritate Ignarra nititur. Is enim qui iam sub Commodo florebat ex Seldeni versione: *Quod vero*, ait (2), *septem stellis, qui planetae vocantur dies assignari receptum est, inventum quidem putatur Aegyptiorum. Sed in omnes tamen haud ita pridem, ut sic dixerim, vulgari coeptum: Certe Graeci veteres, quantum equidem scio, nullo prorsus eam rem pacto cognitam habuere. At nunc ubique fere apud omnes alios etiam, et ipsos Romanos in usu est, et velut mos ipsis patrius habetur*. Hic autem Dio non dicit morem hunc tum primum coepisse, sed apud omnes invaluisse, quod sine vetusta tunc origine factum intelligere nequis, ut recte subdit Seldenus (3). Et illud *haud ita pridem*, quum tempora vetusta spectet, ultra etiam seculum omnino significat, ut fere Plinii tempora attingat, quod de isto more revera Puteanus arbitrabatur, ut et ipse Ignarra observavit (4). Sed hac de re qui plura cupit Seldenum ipsum adeat (5). Si igitur Petronii aetate maxime invaluerunt Mathematici, sub Tiberio, Claudio, Nerone vixit profecto Petronius.

VIII. 5. Sed in Trimalchionis coena: *Nemo*, ait quidam Conviva (6), *Coelum Coelum putat, nemo ieiu-*

(1) Pag. 209. (2) Libr. XXXVII. c. 18.
(3) De Iure natur. et Gent. etc. libr. III. cap. 19.
(4) Loc. cit.
(5) Oper. cit.
(6) Cap. 44.

ieiunium servat, nemo Iovem pili facit; sed omnes opertis, oculis bona sua computant . . . . Quia nos religiosi non sumus agri iacent. Ex his autem Ignarra arguit (1) Petronium perstrinxisse Christianos, qui patriam eius religionem everterent: quumque id fieri non potuisset nisi Christiana Religione iam dilatata, quod demum sub Antoniniis factum fuit, ideo tum floruisse etiam Petronium iterum colligit. Sed iterum temere et perperam. Nam primum nemo non videt ista ad invidiam a Conviva dicta fuisse, ut melius etiam ex iis, quae in eum alius Conviva regerit (2) apparet: nec adeo aetas ulla est, qua similes querelae factae non fuerint, vel fieri saltem non potuissent. Id et nos saepe clamamus, et David vel in sancta Gente sua, ne unum quidem inveniebat, qui *faceret bonum* (3). Ea igitur nullo Religionis Christianae intuitu, quod plane verum iudico, dici potuerunt. Praeterea Ethnici frequenter et palam Deos de medio tollebant, vel ante Christianos natos, vel nullo certe eorum respectu. Omissis iis, qui Philosophi dici malebant, et quorum ingens erat numerus Varro Attacinus haec canebat (4):

Marmoreo Lycinus tumulo iacet, et Cato parvo;
Pompeius nullo, credimus esse Deos?

Tum Pedo Albinovanus in Consolat. ad Liviam (5):

Iam dubito magnos an rear esse Deos.

Et paullo post (6):

Suscipiam in nullos irrita vota Deos.

Ovi-

(1) Pag. 210.
(2) Cap. 45.
(3) Psalm. XIII. v. 2. LII. v. 4.
(4) Inter Catal. Virgil. Scaliger.
(5) V. 130.
(6) V. 194.

Ovidius Elegia in morte Tibulli (1):

Sollicitor nullos esse putare Deos.

Lucanus in Pharsaliae septimo (2):

. . . Sunt nobis nulla profecto
Numina, quum coeco rapiantur secula casu,
Mentimur regnare Iovem.

Martialis qui vix viginti annis post Lucanum scribebat, haec de quodam Selio (3):

Nullos esse Deos, inane Coelum
Affirmat Selius, probatque, quod se
Factum, dum negat hoc, videt beatum.

Tum Plinius Caecilius scribit (4) in Titiana Vesuvii conflagratione plures nullos iam esse Deos clamasse: Et Livius tradit (5) devicto a Romanis Albano Populo plures itidem extitisse, qui religionem suam proiecissent, et omnem Deorum cultum reliquissent. Quin si quis plura desiderat, Muretum adeat in Orationibus (6), in quibus hoc argumentum uberius pertractat. Poterat ergo religiosus ille Conviva in huiusmodi impios absque ullo ad Christianos respectu invehere. Age vero respexerit Christianos Petronius; quidni id factum Neronis principatu? Origines nostras plane ignorat, qui iam tum ingentem fuisse Christianorum multitudinem negaverit (7). Multae Ecclesiae constitutae iam fuerant, multique vel una in Italia praepositi Episcopi. In ipsâ autem Româ non ingens modo

 Chri-

(1) In III. Am. Eleg. 9. v. 36.
(2) V. 445.
(3) Libr. V. Epigr. 21.
(4) Libr. VI. Epist. 20.
(5) Libr. I. c. 12.
(6) Libr. II. Orat. 3.
(7) Lactant. de mortibus Persecutor. c. 2. Sulp. Sever. II. c. 29. V. et. Innoc. Ansaldum Multitudo max. priorum Christianor.

Christianorum multitudo erat ; sed *ingens* eorum *multitudo*, ut ipsis Taciti verbis utar (1), in acerrima Neroniana persecutione laniata est, exusta est, illusa est, crucifixa est. Et si Tacitus (2), qui iam sub Vespasianis florebat, et Svetonius (3) eius coaevus atrox tum et truculentum odium in Christianos ostenderunt, quidni Christianos spectare potuit Petronius, quem Tacitus forte nosse de facie potuit? At, quod caput est, quo pacto Christianos spectavit Petronius? Itane Christiani Coelum Coelum non putabant, Dei scilicet sedem? Itane Iovem non Iovem arbitrabantur, nempe Deum Opt. Max. Mundi parentem atque opificem eiurabant? Itane Christiani ieiunium non servabant (4)? Itane demum ii erant Christiani, qui clausis oculis suam pecuniam, sua bona computarent? Quam satius Ignarra haec praeteriisset, ut illud etiam (5), Petronium nempe (6) sacratissimum Corporis Christi mysterium irrisisse; quod falsum, et ineptum!

SE-

(1) Libr. XV. Ann. c. 44.
(2) Loc. cit.
(3) In Neron. c. 16.
(4) V. Fleury Moeurs des Chretiens Chap. IX. etc.
(5) De Pal. p. 210.
(6) Cap. 141.

SECTIO III.

Statilii, Clerici, et Interpretis primi voluminis Herculanensis obiecta dissolvuntur.

I. HActenus Cl. Ignarra: sed ante eum Marinus Statilius (1) potissimum et Ioannes Clericus (2) nonnulla in Neronianam Petronii aetatem obiecerant. Quamobrem ut disputationis nostrae ratio absolute constet operae pretium est et ista dissolvere. 6. Urgebant ergo primum (3): Minime nempe videri, quod Petronius sub Claudio et Nerone floruerit, quum nulli ex ista vel proxima aetate de eo meminerint, sed sequioris tantummodo aevi Scriptores, Hieronymus puta, Macrobius, Fulgentius, Terentianus Maurus, atque alii huiusmodi. Verum id leve est. Nam primum haud supersunt quotquot Claudii, Neronis, Vespasiani, Titi, Domitiani temporibus scripserunt, nec qui supersunt, ceteris forte ex instituto laudatis de Petronio silent. Nonne mirari subit quomodo Martialis in tot Epigrammatum libellis nuspiam de Papinio aequali suo, et cum quo in eadem Urbe et ad eumdem Imperatorem accederet, meminerit, neque hic eum umquam in suis carminibus spectaverit? Idem aiunt factum invicem a Platone et Xenophonte. Praeterea non pauci Scriptores sunt, qui coaevorum vel proximorum testimoniis destituuntur, veluti Manilius, Phaedrus, Paterculus, Curtius, Florus, Aelianus, et casu factum est, ut ipsis

(1) In Apolog. pro Fragm. Petronii.
(2) Biblioth. Chois. Tom. XIX. Art. 9.
(3) Vid. et. Duguerlium in Magas. Encycl. Tom. XXII. p. 215.

ipsis rebus de quibus agerent vel certis spatiis; vel bene probabilibus aetas sua circumscriberetur. Si ad tempora sua ipsi non spectassent, quae aetatem certam prorsus constituissent? At non inepte tum coaevorum aut proximorum silentium obiectum fuisset? Idem ergo de Petronio dicatur, si verum est eum etiam proximorum testimoniis destitui. Tertio haud difficile Petronius praeteriri silentio a coaevis potuit, ob argumenti scilicet, quod tractaverat, foeditatem et petulantiam: quod et Auctoribus Priapeiorum, similiumque carminum accidit: Observatuque sane dignum est universos fere Scriptores qui de Petronio meminerunt veluti Maurum, Diomedem, Probum, Sergium, Acronem, Servium, Priscianum omnes fuisse Grammaticos, utpote qui eum non ad sententiarum veritatem et honestatem, sed ad verborum usum et auctoritatem adducerent. Quin quum Grammaticorum praestantissimi tanti auctoritatem Petronii fecerint, ut ex una eius fide multa de Latina lingua, de verborum ac dictionum natura, potestate, atque usu statuerunt; sat luculenter profecto ostenderunt, eum non Trebellii Pollionis, non Aelii Spartiani, non Iulii Capitolini, quod Statilius et Clericus (1) autumabant, aequalem et coaevum fuisse, sed probatae, et longe felicioris aetatis Scriptorem habuisse.

II. Quarto, si coniectioni locus datur, alia fortasse illius silentii caussa extitit, quod scilicet Satura non ab Auctore suo et plane absoluta, sed a quopiam amico post mortem eius, atque ex dispersis schedulis trunca et imperfecta in lucem fuisset emissa: et proinde factum fuerit, ut sensim

(1) Loc. citatis.

sim et aegre literatis Viris innotuerit ; et serius occasionem, ut adduceretur, praebuerit. Etenim haud aequior ratio, qua Satura tot tantisque hiatibus ac lacunis lacera pervenire ad nos potuisset, adesse videtur, quam ista. Salmasius quidem autumabat (1), quod ea quae modo ex Petronii Satura supersunt, excerpta tantummodo sint data opera ex plenioribus libris confecta et concinnata. At parum recte. Excerptor enim historiolas, et narrationes, quae sibi placuissent ad integritatem saltem sententiae suae servasset, minime vero ita abrupisset et discerpsisset, ut plerisque nec caput nec pes constet : Et si Burmannus Excerpta ista Petronii, quae aiunt, a Monachis nostris confecta scripsit, qui tentigine disrupti foedissima quaeque a *sanctissimo* Scriptore corraserint (2), et ineptissimum Interpretem, et impudentem calumniatorem se ostendit. Neque vero tantarum rerum in Petroniana Satura iactura tota facta videtur, quod Codices humore, igni, aliove casu corrupti fuissent. Ii enim ex quibus Fragmenta omnia quae supersunt constant, et quidem sat vetusti, ista calamitate, quod ego quidem sciam, non fuerunt affecti. Praeterea quum initium et finis libello desit, et appareat tamen Epigraphe argui potest haud eo pactò libellos omnes vitiari potuisse. Tum si T. Petronius est Saturae Auctor, vix is triennio ante obitum suum Belli Civilis specimen absolvere potuit, quumque in Neronianâ Aulâ elegantiarum Arbiter graviter certe occupatus floruisset, haud fortasse tantum otii suppetere potuit, ut Saturam suam ad editionem omnino perficeret, atque in lu-

(1) Praefat. in L. Ampel.
(2) Praef. in Petronium suum.

lucem reapse emitteret. Ideoque fieri potuit, ut eo Cumis detento, et *maiore parte familiae* Romae *in vincula*, ut scribit Tacitus (1), *raptâ*, scripta sua, ut Sibyllae folia huc illuc disperderentur, et quo meliori pacto fieri poterat, ab amico collecta aliquanto post ederentur. Quod si Servius in Virgilii Aeneida (2) non Petronii Saturam, sed Saturae *Fragmenta* adduxit, quemadmodum in Burmanniana editione legitur, ea non levis coniectio, sed res, ut ita dicam, explorata videretur. Servius enim vix tertio seculo post Petronium floruit, et stantibus adhuc Latinis literis. Et quid obstat quin *το fragmenta* in Servio agnoscamus? Fateor vocem hanc nec in ceteris editionibus, quas adhuc vidi, nec in quatuor Regiae Bibliothecae nostrae Codicibus MSS. legi: Sed nemo nescit omnia fere Servii Commentaria, quae ad nos pervenerunt mirum in modum trunca et mutila fuisse, et brevia potius verorum Commentariorum Excerpta. Ea quidem Tanaquillus Faber (3) genuinorum Commentariorum Eclogas, Iosephus Scaliger (4) eorum potius cadavera appellabat. Exemplar vetustum Fulvii Ursini literis Longobardicis exaratum plura sane servabat, quae in ceteris notis nuspiam apparebant (5). Scimus autem quanto studio, quanta cura, et labore pleraque et praestantissima Servii exemplaria uterque Burmannus contraxerint, expenderint, comparaverint (6). Nec dici potest eam vocem vel ab

(1) Ann. XVI. c. 18.
(2) Ad libr. XII. v. 159.
(3) In Epistolis Critic. n. 63.
(4) Ad Varron. de R. R. libr. III. c. 16. pag. 252.
(5) V. Hieronym. Columm. in Ennii fragment. pag. 44. 164. 191. etc. Edit. Neapolit. 1590.
(6) V. Praef. Burmann. Iunior. in Virgil. suum.

ab eis vel ab aliis sublestâ fide obtrusam fuisse et interpolatam. Nam praeterquamquod id notissimae eorum integritati valde iniurium est, vox *balneatricem*, cuius gratiâ Petronii auctoritas adducitur, in vulgatis Petronii Fragmentis nuspiam occurrit. Nil igitur obstare videtur quin teneamus Servium Petronii Fragmenta, non absolutum Opus adduxisse. Scio quidem non pauca ex Petronio a Scriptoribus prodi, quae in Fragmentis, quae modo habemus, non leguntur, ideoque esse perspicuum non pauca sequioribus aetatibus intercidisse. Id tamen coniectionem nostram, ut arbitror, non evertit. Nam fieri recte potuit, ut trunci et mutili libelli, trunci magis et mutili per barbara potissimum tempora evaderent. Quin immo quum imperfecta et corrupta longe facilius intercidant ac pereant, quam absoluta et integra, ideo fortasse tam multa ex Satura exciderunt, quod truncis et non cohaerentibus partibus ab initio constiterit.

III. Verum, quidquid tandem de huiusmodi coniectione dicendum sit, illud potius quaererem, an scilicet exploratum sit, et plane certum Terentianum Maurum pluribus revera aetatibus post Neronem floruisse. Et si nemo est, qui id praefracte affirmaverit, quomodo, cedo, ex incerto argumento certum et indubium colligetur? Sunt qui Terentianum ad tertium seculum medium reiiciant, sed hi levissima plane de caussa id faciunt. Quid enim est quod Libellus de Sublimi, cuius Auctorem Cassium Longinum ferunt, cuidam Terentiano sit nuncupatus? Itane unus Maurus apud Latinos Terentianus est appellatus? Quin Terentianus Libelli est Posthumius, vel ut ex Codicibus MSS. colligebat

bat Schurzfleithius Posthumus Flavius (1), quae cognomina in Mauro non apparent. Et quid si ille fuit Florentianus, ut in multis nobilibus Codicibus aliquando legitur (2)? Praeterea Maurus, quamvis iam plane senex tam verecunde Graeca attingit, ut non semel ad Magistros graecos provocet, et tamquam hospes et peregrinus iis in literis videri velit (3). Tum veniam petit, si potiora non adfert, caussamque praetexit, quod *Maurus* vel parum vel nihil Graecos nosse potuisset (4):

Non equidem possum tot priscos nosse Poetas,
Ut veterum exemplis valeam quae tracto probare;
Maurus item quantos potui cognoscere Graios?

Atqui si is Posthumius fuisset, haudquaquam, ut puto, eo pacto loqui potuisset. Posthumius enim etsi adhuc iuvenis cum Graecis tamen frequenter versatus est, et quidem Athenis, atque familiaritate potissimum usus est ipsius Scriptoris Libelli Viri dubio procul eruditissimi et doctissimi (5). Tum Scriptores Graecos et potissimum veteres ita callere debuit, ut tantus Praeceptor tamquam socium operis sui haberet, eumque de Homeri, Aeschyli, Euripidis, Herodoti, Platonis, Demosthenis stilo indicem quodammodo et arbitrum advocaret. *Quod dum adgredior*, ad eum ait (6), *hoc te vehementer etiam atque etiam rogo, ut quid de singulis iudicii tui sit, ingenue vereque, ut aequum est ac te decet indicare digneris. Praeclare enim ille, qui rogatus quibus rebus quam proxime accederemus ad*

(1) V. Zachar. Pearce ad Longin. Sect. I. lin. 3.
(2) V. loc. cit. Longin. cum Tollio et Pearce.
(3) V. de Syllabis.
(4) De Metris.
(5) V. Libell. de sublim. cit.
(6) Sect. I.

ad Deos: Beneficentiâ, inquit, atque veritate. Quoniam disputatio haec mea ad te, mi Terentiane, instituitur Virum hisce literarum studiis apprime eruditum. Equidem numquam dixerim Maurum Graeca ignorasse: Sed etiamsi plusquam Posthumius calluisset, si is revera fuisset, nullo pacto illam, ut ita dicam, peregrinitatem prodere et praedicare potuisset. Quamobrem etiamsi Longinus verus libelli Auctor fuisset illa levissima argumenti species prorsus evanuisset. Quid vero dicendum est ubi animadverterimus doctos et solertes Viros Hieronymum Amatum et Beniaminum Weiske gravibus, solidis, et luculentis argumentis ita ostendisse Auctorem libelli non Cassium Longinum extitisse, sed potius Dionysium Halicarnasseum, vel alium Dionysium, de quo meminit Strabo, ut id iam plane exploratum et unice tenendum videatur (1)?

IV. At quidni potius circa Papinii et Martialis aetatem, quod iam literatissimi Viri Fabricius (2), Saxius (3), Harlesius (4), Lamius (5), aliique non pauci tenere maluisse videntur, Terentianus Maurus constituitur? Nonne stilus, universa scribendi ratio, et quae de Latinarum et Graecarum literarum pronuntiatione, et de metris disserit ea aetate dignissimum ostendunt? Et quis contra ex tertio seculo puritate, lepore, elegantiâ Latini sermonis cum Mauro certaverit? Praetereà haud levis momenti videtur, quod Sidonius Apollinaris

(1) V. Dionys. de Sublimit. Graec. et Latin. cur. Weiske Lipsiae 1809. ad Fragm. VIII. p. 213. etc.
(2) Biblioth. Latin. libr. IV. c. 4. Sect. 3. num. 24.
(3) In Onomast. ad ann. Christ. 96.
(4) In notit. Literatur. Roman. Cap. VI. §. 8.
(5) Chronol. Viror. Eruditor. ad ann. 81.

eum inter veteres Poetas recensuerit. Haec enim ad Magnum Felicem Consulem scribit (1):

Non Gaetulicus hic tibi legetur,
Non Marsus, Pedo, Silius, Tibullus,
Non Persii rigor, aut lepos Properti,
Sed nec centimeter Terentianus:
Non Lucilius hic, Lucretiusque est.

Video quidem Sidonium rationem temporum non servasse, sed a Iuvenalis aetate ad suam nullos alios poetas singillatim adduxit praeter ipsum Iuvenalem et Claudianum, quibus locum suum servavit· superiores aeque fortasse probatos et rectos putans. Si Terentianus pluribus aetatibus post Iuvenalem vixisset, quum versiculus, quo de eo Sidonius meminit in quemvis locum coniici potuisset, quo pacto is inter veteres illi dedisset locum? Videtur saltem Iuvenalis coaevum eum habuisse. Et circa hanc quidem aetatem Terentianus quidam apparet, Martialis nempe amicus, Urbis Syenes Praefectus (2): Nec a veritate abhorret hunc ipsum esse Maurum, qui innuit (3) se vigente aetate gravia quaedam et magna gessisse, et qui gente Afer facile illi Urbi praefici potuit. Quin Nicolaus Brissaeus hac epigraphe Terentiani libellum vulgavit (4): *Terentiani Mauri Niliacae Syenes Praefecti de Literis, Syllabis, Pedibus, et Metris tractatus*: quae fortasse ex Codicum fide prolata fuerunt.

V. Insuper Septimium Serenum Poetam illustrem saepe Terentianus laudat, satisque perspicue ostendit se vel coaevum, vel aetate plane proximum

(1) Carmin. IX. v. 256.
(2) Martial. I. Epigr. 87.
(3) In Praefat.
(4) Parisiis ann. 1531. apud Simon. Colinaeum.

mum ei fuisse . Haec enim in Choriambico Phaleucio scribit:

Qui multos legêre negant hoc corpore metri
Romanos aliquid veteres scripsisse Poetas:
Dulcia Septimius qui scripsit opuscula, nuper
Ancipitem tali cantavit carmine Ianum.

Tum alibi (1):

Nemo tamen culpet si sumo exempla novella;
Nam melius nostri sciverunt metra minores:
Septimius docuit quo ruris opuscula libro etc.

Qui enim absolute aliquem *nuper* carmen aliquod cecinisse scribit, et *novella* metrorum exempla protulisse, qui eum *nostrum*, quoad aetatem vocat, evidenter profecto, ut puto, ostendit se illi vel aequalem vel proximum esse. Atqui Septimius iste Terentiani ille ipse Septimius videtur aequalis et amicus Papinii Statii, cui is carmen inscripsit (2). Nam primum Sidonius Apollinaris eodem Carmine, quod citavimus, Septimium certe Serenum, seu Terentiani, de quo et alibi meminit (3), cum Stella copulat, quem et civem et familiarissimum Papinii sodalem fuisse scimus (4):

Stella, Septimius, Petroniusque,
Aut mordax sine fine Martialis.

Praeterea *dulcem* Septimium suum appellat Papinius (5), *dulcem* et suum Terentianus. Tertio Septimius Serenus Poeta est Lyricus, ut ex ipso Terentiano (6), ex Nonio Marcello (7), Divo Hiero-

* nymo

(1) De Carmin. ex Dactylic. Hepthemim.
(2) In Silv. libr. IV. num. 5.
(3) Epistola ad Carm. XIV.
(4) V. Papin. in Silv. I. Carm. 2.
(5) Vers. 34.
(6) In Carm. Phalisco dactylic. et Carm. ex dactylic. Hepthemim. etc.
(7) Pag. 61. 210. 212. 258. 467. etc. Edit. Paris. 1614.

nymo (1), Servio (2), atque aliis constat. Septimius Papinii pariter est Poeta Lyricus. Papinius enim sic eum alloquitur (3):

. . . Sed memor interim
Nostri verecundo latentem
Barbiton ingemina sub antro.

Barbiton autem proprium est Lyricorum, ut omnes norunt. Et omnino quod Lyricus Poeta esset Septimius Lyrico eum Carmine, et *fidibus non sibi solitis* compellasse videtur Papinius (4). Quarto Septimius Terentiani Georgica conscripsit, ut vidimus, et Georgica composuisse videtur Septimius Papinii. Is scribit (5):

Est et frementi vox hilaris Foro,
Venale sed non eloquium tibi . . .
Sed Rura cordi saepius . . .

Et teneri tuto potest non ad quietem tantum, sed ad culturam etiam et literas dilecta ei rura fuisse.

VI. Quinto Sereni Georgica fuisse Lyrica ex Terentiano, et Nonio patet. Alterius fuisse pariter Lyrica ex Papinio colligitur (6):

Hic (ruri) plura panges vocibus et modis
Passim solutis.

Pro *vocibus* autem et *modis passim solutis* intelligenda omnino est Lyrica Poësis Dithyrambica, quae variis *modis* constat, et aliis atque aliis metris fertur certa lege solutis, Aut omnino Sereni Georgica fuerunt. Nam in prorsa oratione nec voces *passim solutae* dici possunt, nec *modi* in ea lo-

(1) Epistol. LIII. ad Paullin.
(2) Ad Virgil. Aen. II. v. 15.
(3) V. 58.
(4) V. 4.
(5) V. 49.
(6) V. 57.

locum habent, nec prosa *pangi* dicitur. Sed haec tantum de versibus recte constant (1). Ier. Marklandus in copioso suo et docto Commentario, quem mihi ex lectissima sua Bibliotheca suppeditavit Clar. Eques Franciscus Daniel, hîc de prorsa oratione Statii verba interpretari adnisus est (2), sed quum pro *passim*, quod omnium librorum est legere suo arbitrio voluisset *passu*, quod hîc et barbarum et parum eptum est, ostendit potius Statii locum nonnisi de carmine esse intelligendum. Et Horatius quidem similibus plane ac Statius verbis Lyricam Poesin descripsit (3):

Seu per audaces nova *dithyrambos*
Verba *devolvit*, numeris*que fertur*
Lege solutis.

Et Terentianus de ipsis Sereni Georgicis loquens (4):

Nam Lyrici quotiens sua volunt
Carmina per varios *dare* sonos,
Pluribus illa modis *ita* novant.

Nec obiici potest mox sequi apud Papinium *Barbiton ingemina*. His enim significavit Papinius vulgarem Poesim Lyricam, quae in odis hymnisque potissimum adhiberetur, in quibus pauca et certa quidem metra et certâ lege disposita et recurrentia haberent locum: Poesim nempe Lyricam, quam Catullus, Horatius, et Papinius ipsemet usurparunt, haud vero dithyrambicam incertis metris et longissimis spatiis vagantem Romanis usque ad ipsum Septimium fortasse incognitam. Quamobrem opus fuit

(1) V. Cicer. XVI. Famil. 18. Lucret. IV. v. 8. Horat. I. Epist. 18. v. 40. Ep. 3. v. 12. Art. Poet. v. 404. Ovid. Ep. her. XV. v. 6. Stat. V. Silv. 5. v. 26. Martial. XI. Ep. 4. etc.
(2) Ad Statium loc. cit.
(3) IV. Carm. Ode 2. v. 10.
(4) In Carmin. dactylic. tetrametr.

fuit ut duo Lyricae Poesis genera singillatim a Papinio exprimerentur. Praeterea animadvertendum est his verbis Papinium praesens tempus, illis futurum spectasse. Ideoque optimo iure teneri potest Scriptoris sententiam huiusmodi fuisse: Tu quidem, o Septimi, quum abibis Rus ibi multa Lyrica panges: Nunc vero ne hîc Romae cesses, sed mei memor aliquid cane Barbito, quem tu in antris et villis tuis verecundus abscondis. Sexto tandem Sereni Georgica Phalisca appellat Terentianus (1), ut et Servius (2) vel si mavis Serenus ipsemet (3), quod scilicet, ut omnino videtur, ea in Phaliscis composuerat. Atqui in ipsis Phaliscis Georgica sua conscripsisse videtur Septimius Papinii. Haec enim is scribit (4):

Sed rura cordi saepius; et quies
Nunc in paternis Sedibus, et solo
Veiente, nunc frondosa supra
Hernica, nunc Curibus vetustis.

Paterna autem sedes de qua hîc Papinius loquitur est in Thuscia: *Adoptatusque Thuscis*, is ait (5), *gurgitibus puer innatasti*: quumque Veii, Cures, Hernicus ager loca haud multum invicem dissita, illi sedi propiora fuisse videantur, Phaliscus ager potius, quam alius quivis Thusciae locus, ut arbitror, indicatur. Quin immo quum Papinius Paterna illa rura solo Veienti copulet, et ager Phaliscus Agro Veienti fuisset, ut omnino videtur, conterminus, vix dubitari potest, quin praecipuum Septimii rus in Phaliscis fuisset. Quapropter, quum fieri

(1) Loc. cit.
(2) In Centimetr. ad Albinum
(3) V. Nicol. Loensem Miscell. Epiphill. libr. V. cap. 4.
(4) V. 53.
(5) V. 39.

fieri non posse videatur, ut tot notae et characteres simillimi iidemque in duabus diversis personis inveniri possint, optimo iure tenere possumus Septimium Terentiani, illum ipsum Septimium esse, de quo Papinius est locutus. Scio quidem vulgo in huius libellis legi *Severum* non *Serenum*. Verum quidni unius alteriusve literulae permutatio per Amanuensem induci potuit, quum potissimum vix elapso seculo omnium ora mentesque implesset Septimius Severus Imperator omnino civis, et cognatus fortasse ipsius Septimii Sereni? Tum si modo Laetus, modo Fortunatus, modo Infortunatus, modo Sabinus, modo Calaber appellari maluit Pomponius noster (1), quidni Septimius, appellatus etiam Faliscus, Severus iuvenis, Serenus senior dici maluit? Quidni assumere potuit nomen Scripturae generi in quo exercebatur accommodatum? Terentianus autem de ludicris Sereni Carminibus meminit:

Atque ille Poeta Phaliscus
Quum ludicra Carmina pangit.

Certe quidem vulgata libellorum Statii lectio haudquaquam obstitit, quin I. Frid. Gronovius Vir non modo eruditissimus, sed veterum lectionum alioquin omnino tenacissimus (2) Septimium Papinii Serenum diceret et praedicaret (3).

VII. His ergo positis nonne verum est non modo nihil in constitutam Petronii aetatem ex Terentiano argui, sed aliud potius luculentum argumen-

(1) Vid. Apost. Zenum Dissertaz. Vossian. XIV. n. 80. p. 232. Hieronym. Tirabosch. Letterat. Italian. Secol. XV. Part. II. Libr. III. cap. 3. §. 9.
(2) V. Ioann. Cleric. Biblioth. Chois. Tom. IV. Art. 7. p. 169.
(3) In Observation. libr. III. c. 16.

mentum erui, ad eam magis semper magisque firmandam? Etenim si Terentianus Martialis et Papinii coaevus fuit, omnino oportet, ut Petronius superiore aetate floruerit, nempe ante Vespasianos, nempe Neronis Principatu: Quod profecto sic clarius etiam evincitur. Terentianus saepe quidem laudavit Petronium, numquam vero eum sibi aequalem, aut aetate proximum dixit innuitve. Sed ut Senecam, ut Pomponium Secundum, vel etiam ut Horatium, sic simpliciter Petronium adduxit. De Septimio vero, ut vidimus, tamquam de coaevo et sibi proximo est locutus. Quamobrem necesse est ut Petronius triginta saltem annis scripserit antequam Septimius pariter scriberet. Secus enim eius coaevus fuisset: Atqui ut ex Papinio evidenter colligitur Septimius florebat scribebatque circa XVII. Domitiani Consulatum, scilicet circa annum Christi XCV. Petronius ergo circa LXV. scribebat: Scilicet circa decimum Neronis annum, quod revera factum non semel in primo capite observavimus.

VIII. 7. Sed urgent porro Statilius et Clericus (1): Si Petronius Claudii et Neronis aetate revera floruit, qua liberales et ingenuae artes vigebant adhuc commode, atque habebantur in pretio, quomodo queri potuerit eas aetate sua iam incercidisse, picturamque potissimum nullum sui vestigium reliquisse? Id profecto, inquiunt, fieri non potuit nisi paullo ante Constantini Magni tempora. Petronii autem locum, quem spectant, is est (2): *In Pinacothecam*, Encolpius ait, *perveni vario genere Tabularum mirabilem. Nam et Zeuxidos manus vidi nondum vetustatis iniuria victas, et Protogenis rudi-*

(1) Locis cit. (2) Cap. 83.

dimenta cum ipsius naturae veritate certantia non sine quodam horrore tractavi. Iam vero Apellis, quem Graeci Monochronon appellant, etiam adoravi. Tanta enim subtilitate extremitates imaginum erant ad similitudinem praecisae, ut crederes etiam animorum esse picturas... (1) *Consulere prudentiorem* Eumolpum *coepi aetates Tabularum, et quaedam argumenta mihi obscura, simulque caussam desidiae praesentis excutere, quum pulcherrimae artes periissent, inter quas Pictura ne minimum quidem sui vestigium reliquisset. Tum ille: Pecuniae, inquit, cupiditas haec tropica instituit ... Nos vino scortisque demersi ne paratas quidem artes audemus cognoscere, sed accusatores Antiquitatis vitia tantum docemus et discimus. Ubi est Dialectica, ubi Astronomia, ubi Sapientiae consultissima via? Quis, inquam, venit in Templum, et votum fecit si ad Eloquentiam pervenisset? Quis si Philosophiae fontem attigisset? Ac ne bonam quidem valetudinem petunt: Sed statim antequam limen Capitolii tangant alius donum promittit, si propinquum divitem extulerit, alius si thesaurum effoderit, alius si ad trecenties HS. salvus pervenerit ... Nolito ergo mirari si Pictura deficit, quum omnibus Diis hominibusque formosior videatur massa auri, quam quidquid Apelles, Phidiasve Graeculi delirantes fecerunt.* Ponamus autem Statilium, Clericum, aliosque plures Interpretes eorum potissimum verborum, quae caput argumenti faciunt, nempe: *Picturam ne minimum quidem sui vestigium reliquisse*: rectam sententiam fuisse adsecutos: Quaererem an ea per se omnino, utque sonant, accipienda sint nec ne. Si aiunt, tum non ad finem tertii seculi, sed vix ad finem decimi Pe-

 tro-

(1) Cap. 88.

tronius est ablegandus. Si negant; et petunt ea verba esse aliqua benignitate interpretanda, nobis quoque eadem venia vicissim danda est. Et ineptus profecto ille est, qui omnia penes Scriptores ad verbum sonumque metitur, et quidquid apud Poetas, Oratores, et Declamatores offendit pressim cuncta et stricte interpretatur. Multa saepe invidiae, multa ceteris affectibus, multa humanae imbecillitati indulgenda sunt, neque nos plerumque nisi hyperbole, paradoxo, *veritatisque superlatione*, ut ait Cicero (1), vehementioribus veluti ictibus excitamur et movemur. Tum frequenter atque assidue et legimus, et audimus, et dicimus extinctam virtutem, extinctam pietatem, extinctas literas, nulla bona studia amplius superesse, nullasque esse liberales artes.

IX. Notum est insuper ingenuas artes, et picturam potissimum, quae Romae Caesaris et Augusti aetate maxime floruerant, sub Claudio et Nerone gravissimo casu concidisse (2). Quid ergo mirum si Petronianus Encolpius tam exquisiti iudicii Vir, quum miracula artis, quum divina Graecorum opera contemplatur, gravissimo dolore correptus exclamat nullam praestantem esse aetate sua picturam, eamque iam defecisse? Nonne et nos in ipsissimas modo querelas abripimur, quum Raphaëlis Sanctii, Titiani Vecellii, Annibalis Caraccii Tabulas contemplamur? Praeterea Critices lex est ut obscura Scriptorum loca per luculenta et perspicua sint explicanda. Atqui paullo inferius Petronius scribit, quod *deficiebat* quidem *Pictura*, sed non

(1) De Orator. III. c. 53.
(2) V. Vinckelmann. Dell' Arte libr. XI. Cap. 3. etc.

non omnino defecerat: Et alibi (1) Picturam *corruptam* dicit, ut Poesim et Eloquentiam (2), non vero prorsus deletam. Quin ille ipse Encolpius qui Apellis, Protogenis, Zeuxidos tabulas tanta admiratione adorat Trimalchionis Porticus nuperrime pictas multo studio et voluptate lustrat, pictoremque *curiosum* appellat (3), quumque et pictum canem veluti viventem, atque in se irruentem extimuerit (4), sat commodam potius esse aetatis suae picturam ostendit, et quae certe Neroniano aevo convenire rectissime possit. Haud igitur obstat illud Petronii de aetatis suae Pictura iudicium, quin Claudii et Neronis coaevus habeatur. Immo evincit potius. Plinius enim Scriptor gravissimus ipsum de Neronianae aetatis picturâ iudicium tulit ac Petronius: Prorsus nullam tum scilicet nobilem fuisse Picturam, artemque iam iam morituram. *Hactenus*, ait (5), *dictum sit de dignitate artis morientis*. (6) *Nunc et purpuris in parietes migrantibus, et India conferente fluminum suorum limum, et draconum et elephantorum saniem*, nulla nobilis pictura *est*. *Omnia ergo meliora tunc fuere, quum minor copia. Ita est quoniam ut supra diximus, rerum non animi pretiis excubatur. Et nostrae aetatis insaniam ex pictura non omittam: Nero princeps iusserat colosseum se pingi CXX. pedum in linteo, incognitum ad hoc tempus.*

X. Sed Petronium non paullo ante Constantinum, sed Claudii et Neronis aetate revera vixisse genuina

(1) Cap. 2.
(2) V. Cap. I. 3. etc.
(3) Cap. 29.
(4) Cap. 72.
(5) Libr. XXXV. c. 5.
(6) Cap. 7.

nuina eorum verborum interpretatio luculentius etiam ostendit. Petronius enim non dixit nullam aevo suo fieri egregiam picturam et nobilem, sed nullam esse: non dixit eximiam et praestantem Picturam defecisse, sed absolute Picturam nulla sui vestigia reliquisse: non scripsit inepte nullâque plane elegantiâ pingi, verum haud amplius pingi, eamque artem honesta quidem hyperbole esse iam desertam et praetermissam. Atqui nulla aetate de qua, quoad Petronium, quaeri potest adeo pauci pictores, picturaeque cultores extiterunt, quam Claudii et Neronis aevo. Tum enim imagines omnes, simulacra omnia non tabulis picturisque ponebantur, sed ex auro, ex argento, ex aere, ex marmore fiebant. Ipsa marmora in maximum Picturae damnum coloribus tingi coepta sunt, et latissime musiva opera celebrari (1). Plinius qui per ista tempora iam florebat, et ea potissimum spectabat, haec queritur (2): *Primum dicemus quae restant de Pictura, arte quondam nobili tunc quum expeteretur a Regibus, populisque, et illos nobilitante, quos esset dignata posteris tradere: nunc vero* in totum *marmoribus pulsa, iam quidem et auro: nec tantum ut parietes toti operiantur, verum et interraso marmore vermiculatisque ad effigies rerum et animalium crustis. Non placent abaci . . . Coepimus et lapidem pingere. Hoc Claudii principatu inventum., Neronis vero maculas, quae non essent, inserendo . . . . Imaginum quidem picturâ quam maxime similes in aevum propagabantur figurae, quod* in totum *exolevit. Aerei ponuntur Clypei, argenteae facies, surdo figurarum discrimine. Sta-*

(1) Senec. Ep. 86.
(2) Libr. cit. Cap. I.

Statuarum capita permutantur . . . Adeo materiam malunt conspici omnes, quam se nosci. Et inter haec Pinacothecas veteribus tabulis consuunt, alienasque effigies colunt, ipsi honorem non nisi in pretio ducentes . . . . Ita profecto est, Artes desidia *perdidit, et quoniam animorum imagines non sunt, negliguntur etiam corporum.* Et ut clarius etiam pateat Plinium et Petronium eadem aetate vixisse conferantur quaeso utriusque Scriptoris loca, ut omnia respondent, ut in singulis congruunt, ut unum idemque est iudicium! Plinius scribit Picturam *in totum* pulsam fuisse: Petronius *nullum* sui *vestigium* reliquisse. Hyperbole utitur Plinius; nam quorumdam Pictorum et picturarum Neroniani aevi meminit (1), utitur et Petronius, quum de aliquot aevi sui picturis meminisset, ut vidimus. Plinio artes *desidia* perdit, quod ipsum aequalis eius Messalla apud Auctorem Dialogi de corrupta Eloquentia queritur (2); Petronio artes *desidiâ* pereunt. Plinio Pictura deficit, quod animi liberalibus disciplinis non imbuuntur et excoluntur, Petronio quod opera Sapientiae et Philosophiae non datur. Plinius scribit non proprias imagines quaeri, sed unum pretium, una metalla in honore haberi: Petronius autem unam pecuniam videri formosam, unam expeti. Igitur quod Statilius et Clericus obiiciebant non modo argumento nostro non officit, verum luculentissime plane illustrat et firmat.

XI. 8. Agmen tandem claudit eruditissimus Ignarrae olim Socius primi Voluminis Herculanensis Interpres, qui eius de Petronii aetate opinione proba-

(1) Libr. cit. c. 7.
(2) Cap. 28.

bata (1), novo etiam argumento eam firmare est conatus. Animadvertens enim apud Petronium Matronae Ephesiae virum integro corpore conditum, *more graeco* sepultum dici (2): putansque morem hunc nisi collabescente Ethnicismo haudquaquam apud Graecos vulgo obtinuisse, quod potissimum Lucianus, qui sub Antonino Pio, et Marco Philosopho floruit Graecos suos adhuc comburere mortuos his verbis scripserit (3): *ο μεν Ελλην εκαυσε*: inde intulit nonnisi post hanc aetatem potuisse Petronium florere. Petronii autem verba haec sunt: *In Conditorium prosecuta* uxor defunctum, *positumque in Hypogaeo Graeco more corpus, custodire, ac flere totis noctibus diebusque coepit*. Ego vero primum ea adductorum verborum interpretatione uti possem, quam idem Vir clarissimus ibi protulit, et quo pacto positam a se ante difficultatem totam ipsemet sustulit ac removit, eo etiam ipse auferre possem et removere. *Ut indicaret igitur Petronius*, ait, *Matronam pluribus diebus ac noctibus flentem perdurasse in Conditorio subterraneo fortasse addidit*, Graeco more: *hoc est, illud positum fuisse sub terra, non secus ac Graecorum sepulcra solerent; quod vero integrum cadaver mariti in arca situm foret, id non ad omnium Graecorum morem, sed ad Ephesiorum, qui licet graece loquerentur, Asiaticis tamen institutis non secus ac Gadarenus Philodemus noster fortasse insistebant est referendum.* Verumtamen quum obiecta potius difficultas, quam nova verborum interpretatio non paucis Lectoribus probabilis videri possit, rem aliquanto latius perse-

(1) Praefat. not. 25.
(2) Cap. 111.
(3) In Dialog. de luctu.

sequi abs re nostra non erit; Sedulo igitur animadvertendum est utrumque sepeliendi morem, tum scilicet integris cadaveribus conditis, tum eorum tantummodo cineribus reliquiisque servatis aeque apud Graecos invaluisse a priscis usque temporibus. Et de Troicis quidem satis perspicue testari videtur Homerus (1). Tum Solonis aetate Athenienses, Megarenses, Salaminii integra suorum cadavera condebant, quod ex celebri illo ipsius Solonis stratagemmate a Plutarcho (2), Diogene Laertio (3), et Aeliano (4) relato est perspicuum. Quumque tum Athenienses cadavera facie ad occidentem conversâ componerent, et Aelianus, qui tertio aerae nostrae seculo floruit scripserit (5): Legem esse apud Athenienses: *ut si quis in insepultum hominis cadaver incidat omnino ei terram iniiciat, et ita sepeliat ut ad occasum spectet*: patet huiusmodi morem a Solone ad Aelianum incorruptum perpetuo ac intemeratum mansisse. Tum Deli c davera condita ex Herodoto colligitur (6). Tradit enim Pisistratum ex Oraculo Insulam expiasse effossis ex omni Templi prospectu cadaveribus, et in alium Insulae locum translatis. Condebant quoque Sicyonii, condebant Corinthii, ut Pausanias scribit (1), tum condebant non cremabant universi Lacedaemonii ex peculiari Lycurgi lege, ut Plutarchus refert (2), atque ex aliis etiam

(1) Iliad. H. v. 86. Π. v. 674.
(2) In Solon. c. 19.
(3) De Vit. Philosoph. Libr. I. num. 2.
(4) In var. Hiſtor. libr. VII. c. 29.
(5) Oper. cit. libr. V. c. 21.
(6) In Clio p. 64.
(7) In Corinthiac. p. 191. etc. edit. Lugdun. 1577.
(8) In Inſtitut. Laconic.

etiam (1) est exploratum. Xenophon insuper qui pietatem erga defunctos in bello colere cupiebat (2), haud passus fuisset eos omnes terra obrui si omnino ex patria lege, vel peculiari religione cremandi fuissent, unusque tum extitisset cremandi mos. Nec Q. Calaber Poeta minime absurdus quaedam Graecorum cadavera in Troiano bello condita potius fuisse, quam exusta scripsisset (3).

XII. Praeterea ad morem condendi cadavera respexisse videtur Euripides in Hypsipyle (4), ubi ex Ciceronis versione (5) haec ait:

Mortalis nemo est quem non attingat dolor,
Morbusque, multi sunt humandi liberi,
Reddenda est terra terrae, tum vita omnibus
Metenda ut fruges, sic iubet necessitas.

Et in Supplicibus: quae tamen Moschioni vel Menandro a Stobaeo (6) tribuntur.

Sinite iam terrae operire mortuos,
Et unumquodque unde in corpus venit,
Illuc redire, spiritus quidem ad aethera,
Corpus vero in terram: Non enim possidemus
Illud proprium, sed quamdiu hanc vitam incolimus;
Deinde restituendum est suae parenti.

Quod profecto humatione fiebat: Combustione vero corporum, haud terra et corpus terrae reddebantur, sed ut putabant, aetheri et igni (7). Gravis-

(1) V. Xenophont. Histor. Graec. lib. V. Nepot. in Pausan. cap. V. n. 2., in Agesil. Cap. VIII. n. 7. Aelian. Var. histor. lib. XII. c. 21. etc.
(2) De expedit. Cyri lib. VI.
(3) Paralipom. lib. I. v. 818. etc.
(4) Apud Stobaeum Sermon. CVI. p. 568. et Plutarch. Consolat. ad Apollon. p. 110.
(5) Tuscul. Quaest. III. c. 25.
(6) Sermon. CXII.
(7) V. Servium ad Virgil. III. Aen. v. 68.

vissimae insuper auctoritatis apud universos Graecos esse debuit tum Thaletis, tum Pythagorae, tum Democriti sententiae, qui defunctorum corpora non cremanda, sed integra condenda praeceperunt (1). Et Cynicos etiam idem sensisse ex celebri illo Diogenis morituri apophthegmate argui luculenter potest (2). Ex postremis porro Socratis verbis apud Platonem (3) tum promiscuum fuisse utrumque sepeliendi genus est perspicuum, idemque ex verbis Chrysippi Stoici apud Sextum Empyricum (4) colligitur. Apud Platonem autem (5) quidam Axiochus queritur, quod mortuus putrescendus esset, inque vermes resolvendus, exploratumque videtur summum hunc Philosophum unum sepulturae genus condendorum nempe cadaverum in legibus suis agnovisse et probasse (6). Quod fecit etiam in Cyropaedia (7) Xenophon, propterea multum a Cicerone (8) laudatus. Et Graecorum mores quoque spectasse his versiculis (9) Lucretium iam adnotarunt Interpretes:

Nam si in morte malum malis morsuque ferarum
Tractari, non invenio qui non sit acerbum
Ignibus impositum calidis torrescere flammis;
Aut in melle situm suffocari; atque rigere
Frigore quum in summo gelidi cubat aequore saxi,
Urgerive superne obtritum pondere terrae.

(1) V. Varron. περι ταφης apud Nonium in *Mulso*. Plinium libr. VII. c. 55. XXXV. c. 12. Plutarch. de Socratis Genio. Servium ad Virgil. Aen. XI. v. 186.
(2) V. Cicer. I. Tusc. quaest. Diogen. Laert. in vit. lib. VI. segm. 79.
(3) In Phaedon.
(4) Libr. XI. adv. Ethicos §. 194.
(5) In Axioch.
(6) Libr. XII. p. 958. 959. Edit. Serrani.
(7) Lib. VIII. c. 47.
(8) De legib. II. c. 22.
(9) Lib. III. v. 903.

Nec dubitari potest quin graecum morem etiam spectaverint Dioscorides qui calce (1), Plinius (2) et Columella (3) qui melle defunctorum corpora condita esse scripserint. Et multos terrâ aetate sua condi, nempe Vespasianis Imperatoribus, Plutarchus etiam prodidit (4).

XIII. Sed morem condendi cadavera iam Neronis aetate apud Graecos valde receptum fuisse, frequens etiam Sarcophagorum usus ostendit. Plinius de eis meminit, ut de re vulgari. *In Asso Troadis*, ait (5), *Sarcophagus lapis fissili vena scinditur. Corpora defunctorum condita in eo absumi constat intra quadragesimum diem, exceptis dentibus. Et Mucianus specula quoque, et strigiles, et vestes, et calciamenta illata mortuis lapidea fieri auctor est*. Tum Dioscorides (6): *Fiunt et loculi qui defunctorum carnes exedunt*. Seneca (7): *Non defunctorum caussa, sed vivorum inventa est sepultura, ut corpora visu et odore foeda amoverentur. Alios terra obruit, alios flamma consumpsit, alios lapis ossa redditurus inclusit*. Et paullo superius: *At tu iacebis combustus, at tu obrutus, at tu inclusus, at tu putridus, at tu evisceratus et constrictus, at tu traditus lapidi qui te paullatim edat et exsiccet*. Quin Sarcophagorum usus tam late Iuvenalis aetàte invaluerat, ut omnes loculi, quibus integra cadavera condebantur *Sarcophagi* dicerentur. Ipse enim loculum, quo Alexandri Magni cadaver Aegyptio more curatum inclusum fuerat Sarcophagum dixit (8):

Unus

(1) Lib. V. cap. 91.
(2) Lib. XXII. c. 24.
(3) Lib. XII. c. 45.
(4) De usu Carnium Orat. I.
(5) Libr. XXXVI. c. 17. Vid. et libr. II. c. 96.
(6) Libr. V. cap. 142.
(7) In Excerptis.
(8) Satyr. X. v. 172.

Unus Pellaeo iuveni non sufficit Orbis ;
Quum tamen a figulis munitam intraverit Urbem ,
Sarcophago contentus erit .

Tum Auctor Fabellarum novarum (1) *Sarcophagum* etiam appellat loculum , quo Vir Matronae compositus fuerat, et minime , ut omnia ostendunt , quo cito absumeretur , sed potius ut diu integer servaretur . Phlaegon autem Trallianus non modo de more condendi cadavera apud Graecos meminit (2), verum etiam hypogaeorum et subterraneorum sepulcrorum , quod iam Plato fecerat (3) . Floruit quidem Phlaegon sub Adriano, dubitari tamen nequit, quin ille mos aetate sua longe fuisset anterior . De eo enim , ut plane recepto et communi locutus est , deque mortuis meminit ,qui iam pridem defuncti fuissent . *Postquam* , ait , *aperuimus Camaram , qua omnes ipsius familiae defuncti deponebantur , alia quidem in culcitris conspeximus cadavera sita , et ossa eorum qui ante spatium temporis longius fuerant mortui* . A Nerone autem ad Adrianum vix quinquaginta anni intercesserunt . Apuleius qui sub primis Antoninis floruit non semel de conditis integris apud Graecos corporibus meminit (4), ut iam fecerat etiam Plinius Caecilius (5). Quamobrem optimo iure Ioannes Kirchmannus: *Liquet* , ait (6), *et combustionis et humationis morem apud Graecos obtinuisse , nec introducto uno exolevisse alterum , sed remansisse utrumque aliis hunc , aliis istum usurpantibus pro cuiusque arbitrio, opi-*

(1) Fabell. XIV. v. 2.
(2) De mirabilib. Cap. 1.
(3) De leg. loc. cit.
(4) Metam. libr. III. VIII. etc.
(5) Libr. X. Epist. 86.
(6) De Funerib. Roman. libr. I. c. 1.

opinor, et voluntate. Tum Georgius Zoega (1): *Post Troiani belli tempora denuo invaluit humandi ritus, ac frequentior fit defossorum corporum mentio, quam crematorum.* Et propterea mirari subit, quomodo doctissimus Interpres, qui ipsam Kirchmanni sententiam laudat tantam auctoritatem illis Luciani verbis tribuisse videatur, quae etiam, ut patet, argute et solerter ad dicti et apophthegmatis speciem, non vere et stricte sunt dicta. Et si Luciani auctoritas in Lucianum valet animadvertere est, eo ipso Dialogo, quo illa verba proferuntur, perspicue Lucianum docuisse tum Graecos suos integra etiam corpora condere. Ita enim defunctum filium Patrem adhuc viventem alloquentem inducit: *Verum vide an non illud te cruciet, et cogites tenebras, quae apud nos sunt, et multam caliginem: Deinde illud metuas ne tibi suffocer in sepulcro conclusus. Oportet autem adcogitare illud putrefactis oculis, aut etiam per Iovem combustis paullo post, siquidem cremare me decrevistis.* Praeterea in Philospeude (2) Fabellam de quodam narrat, qui vigesimo a sepultura die membris iam putrefactis revixerat: Et alium referentem inducit (3) se apud Inferos patrem suum vidisse iis ipsis vestibus indutum, in quibus eum terra condiderant: ἐν οἷς αὐτὸν κατεθάψαμεν. Constat igitur morem condendi integra cadavera vetustum, perpetuum, vulgatumque apud Graecos fuisse. Ideoque recte plane eum appellare potuit *Graecum* Petronius, vel si aetate Augusti aut Caesaris vixisset. Nec profecto ut aliqua consuetudo in *morem*

(1) De Orig. et usu Obeliscor. Sect. IV. c. 1. p. 273.
(2) Cap. 26.
(3) Cap. 24.

abiisse dicatur opus est, ut ab universa plane Gente usurpetur: Tum enim nulli prorsus, ut ita dicam, sic appellati *mores* extarent; sed omnino sat est, si a multis recepto quodam et solemni ritu exerceatur. Atqui plurimi certe aetate Neronis erant ex Graecis, qui integra defunctorum corpora ex veteri instituto conderent. Nihil igitur in Neronianam Petronii aetatem ex illo graeco condendi more argui potest.

XIV. Sed Petronius, quum morem condendi cadavera *Graecum* dixit, evidenter ostendit eum aetate sua fuisse Romanis ignotum. Secus enim *graecum* numquam dixisset: Et quamvis pauci tantummodo eum apud suos usurpassent, horum potius exempla, quae propriis oculis usurpari poterant adduxisset, vel rem ut notam silentio praeteriisset, quam ad alienigenam gentem veluti de ignotissimo negotio confugisset. Et ita quidem: Nam per universa Saturae fragmenta, quae habemus, ut multa rogorum, cinerum, ossiculorum mentio occurrit (1), ita adversus mos ne spectatur quidem umquam. Quamobrem ea aetate florere debuit Petronius, qua ne minimum quidem mos condendi cadavera apud Romanos Latinosque obtineret. Atqui per initia tertii seculi, quo ad minimum Clarissimus Herculanensis voluminis Interpres Petronium reiicit mos condendi cadavera dubio procul apud Romanos iam invaluerat. Symmachus apud Macrobium (2), et Servius in Virgilii Aeneida (3) tradunt morem cremandi corpora defunctorum iam aetate sua circa medium nempe quartum

(1) Vid. Capit. 39. 65. 71. 115.
(2) Libr. VII. Saturn. c. 7.
(3) Ad libr. III. v. 68.

tum Aerae nostrae seculum penitus exolevisse, quumque id aliquanto antea factum indicent, teneri recte potest circa Constantini Magni tempora vel nulla amplius, vel certe rarissima eorum exempla extitisse, qui corpora defunctorum flammis abolerent. Si primum autem post tertii seculi initia mos condendi cadavera apud Romanos induci coepisset, quae caussa, cedo, esse potuit, ut adversus mos tam vetus, tam receptus, tam cito contra rerum humanarum ordinem infra seculum fere omnino obsolesceret? Christianismus, inquient. At is iam per duo solida secula floruerat, et ex eorum opinione non offecerat. Quin si per Christianos humandi mos apud Romanos inductus est, et late vulgatus, ut Kirchmannus (1), Pitiscus (2), Muratorius (3), et ipsemet Cl. Interpres (4) putant, et Christiani seculo secundo desinente iam Romanorum *omnia implessent*, *Urbes*, *insulas*, *castella*, *castra ipsa*, *tribus*, *decurias*, *palatium*, *Senatum*, *Forum*, ut Tertulliani verbis utar (5): *tantaque Christianorum esset multitudo*, *ut pars pene maior civitatis cuiusque haberetur* (6), ut idem Scriptor loquitur: Si Christiani plus turis in defunctis sepeliendis *profligarent*, *quam* Ethnici *in fumigandis Diis* (7): Quis non fatebitur iam tum morem humandi corpora late debuisse apud universos Romanos obtinere (8)? Sed Iurisconsulti qui per seculi tertii initia, et sub finem etiam secundi floruerunt

(1) Oper. cit. libr. I. c. 2.
(2) In Lexic. v. Cadaver.
(3) In antiqu. Ital. med. aevi Differt. XXIII.
(4) Loc. cit.
(5) In Apologet. cap. 37.
(6) Cap. 2.
(7) Tertull. Apol. c. 42.
(8) V. et. D. Cyprian. Epist. LXVIII.

runt rem plane exploratam constituunt, ita quidem ut Salmasius non dubitaverit scribere, quod iam tum *plerique Romani ex gentilibus condi integros se morte obita malebant* (1). Macer (2): *Funeris sumtus*, ait, *accipitur quidquid corporis caussâ, veluti unguentorum erogatum est, et pretium loci, in quo defunctus humatus est, et si qua vectigalia sunt, vel sarcophagi, vel vectura*. Scaevola (3): *Quos libertos meos ubi corpus meum positum fuerit, ibi eos morari iubeo, ut per absentiam filiarum mearum ad Sarcophagum meum memoriam meam quotannis celebrent*. Florentinus (4): *Monumentum generaliter res est memoriae caussa in posterum prodita, ut si corpus vel reliquiae inferantur fiet sepulcrum*. Caius (5): *Adversus eum qui in alterius arcam lapideam in qua adhuc mortuus non erat conditus mortuum intulerit etc. Liberum est ei, qui prohibetur, mortuum ossave mortui inferre etc.* Paullus (6): *Rei sepulcrorum violatores, si corpora ipsa extraxerint, vel ossa eruerint*. Ulpianus (7): *Ossa quae ab alio illata sunt, vel corpus, an liceat domino loci effodere* (8). *Sepulcrum est ubi corpus, ossave hominis condita sunt* (9). *Ne corpora aut ossa mortuorum detinerentur, aut vexarentur* (10). *Non autem oportet ornamenta cum corporibus condi* (11). *Adversus eos qui cadavera spoliant Praesides severius intervenire so-*

(1) In Solinum p. 849. Edit. Traiect. ann. 1689.
(2) Dig. Libr. XI. Tit. 7. leg. 37.
(3) Dig. libr. XXXIV. Tit. I. Leg. 18. §. 5.
(4) Dig. libr. XI. Tit. 7. leg. 42.
(5) Dig. libr. XI. Tit. 7. leg. 7. §. 1. et Leg. 9.
(6) Dig. lib. XXXIV. Tit. 12. Leg. 11.
(7) Dig. libr. XI. Tit. 7. leg. 8.
(8) Dig. libr. XI. Tit. 7. leg. 2. §. 5.
(9) Dig. libr. XI. T. 7. leg. 38.
(10) Dig. libr. XI. Tit. 7. leg. 14. §. 5.
(11) Dig. libr. XLVII. Tit. 12. leg. 3. §. 7.

solent, ut etiam capite plectantur, ut Divus Severus rescripsit. Papinianus (1): *Eadem sunt in socio, qui in fundum communem invito socio mortuum inferre vult. Nam propter publicam voluntatem, ne insepulta cadavera iacerent strictam rationem insuperhabemus*. Et tandem in Edicto Praetoris (2): *Sive homo mortuus, ossave hominis mortui in locum purum alterius aut in sepulcrum illata esse dicantur sepulcrum est*.

XV. Ista autem testimonia ingentis plane auctoritatis sunt, moremque ostendunt iam receptum, constitutum, et ab ipsis legibus agnitum et firmatum. Et quoniam Severi, Antonini Pii, et ipsius Adriani tempora spectant evidenter fit iam tum morem condendi integra cadavera apud Romanos late invaluisse: Et propterea luculenter patet Petronium ante Antoninorum aetatem floruisse. Equidem haud dixerim sub Traiano et Vespasianis tam frequenter apud Romanos integra corpora fuisse condita, ut mos constitueretur, putaverim tamen quod qui de corpore integro condito sub eorum Principatu scriberet, ut Romano more conditum non diceret, ita ne Graeco quidem, quum eam sepeliendi rationem iam multi Romanorum dubio procul usurparent. Auctor Declamationum, quem Quintilianum praedicant de quadam Matre scribit (3): *Oderat ignes, oderat rogos, reponi corpus* (filii) *et servari membra cupiebat*. Quin in aliis Declamationibus (4) de corporibus conditis certe loquitur. Nec unus Abascantius Papinii familiaris esse potuit, qui tum Priscillam uxorem suam inte-

(1) Dig. XI. Tit. 7. leg. 43.
(2) Dig. libr. XI. Tit. 7. leg. 2. §. 2.
(3) Declamat. X.
(4) Declam. 298. et 369.

tegram Romae conderet. Et Papinius eam pietatem integro carmine commendans et celebrari et probari iam morem indicavit (1):

Hic te Sidonio velatam molliter ostro
Eximius coniux, nec enim fumantia busta;
Clamoremque rogi potuit perferre, beato
Composuit, Priscilla, toro, nil longior aetas
Carpere, nil aevi poterunt vitiare labores
Siccatam membris.

Plinius autem maior non modo morem humandi corpora laudavit (2), sed multos scripsit, aetate sua dubio procul maxime, se soliis fictilibus, sarcophagis nempe condi maluisse (3). Et tandem ipse Nero, sed novo plane exemplo, Poppaeam suam, quae undecimo eius Imperii anno defuncta est solemni pompa condi integram voluit. *Corpus Poppaeae*, ait Tacitus (4), *non igni abolitum, ut Romanorum* (erat) *mos, sed Regum externorum consuetudine differtum odoribus conditur, tumuloque Iuliorum infertur*. Quapropter aequm est, ut teneamus Ephesiae Matronae historiolam ante Poppaeae obitum fuisse a Petronio conscriptam, circa decimum scilicet Neronis annum, quod plane verisimillimum esse iam saepius observavimus. Ideoque obiectum illud Cl. Interpretis non modo Neronianae Petronii aetati non obest, verum etiam maxime favet.

XVI. Atque haec omnia sunt, quae in Neronianam Petronii aetatem, hactenus, quod ego quidem sciverim, obiecta sunt, eaque ut vidimus non modo minimum non obfuerunt, sed singulari quadam

(1) Silv. V. Carm. I. v. 225.
(2) Libr. VII. hist. c. 54.
(3) Libr. XXXV. c. 12.
(4) Ann. libr. XVI. cap. 6.

conversione magis semper magisque profuerunt. Quamobrem si meminerimus quot gravia insuper et luculenta argumenta superiori Capite prolata sint, quae rectâ eamdem aetatem demonstraverint atque evicerint, optimo tandem iure statuere et tenere possumus: revera Petronium Arbitrum Claudii et Neronis aetate floruisse, ideoque fere aequalem, et Phaedro proximum extitisse, quod initio Disputationis ponebamus. Et reapse praeterquamquod usque ad Neronem protrahere vitam Phaedrus potuit, quum Satura circa LXIII Iesu-Christi annum omnino conscripta videatur, et Fabularum editio, quod alibi, Deo adiuvante, ostendemus (1), circa XXXVII absoluta, ab editione Fabellarum ad Saturam quinque circiter supra viginti annos intercessisse colligitur. Apud Petronium autem historiolam de Ephesia Matrona Eumolpus narrat, qui senex canus dicitur (2), aetatisque plane provectae (3), quique propterea plusquam sexaginta annos iam exegisset. Tum is ait historiolam hanc se narrare, ut rem factam memoria sua, scilicet, ut rem factam ante memoriam et aetatem eorum, qui audiebant. Sed Lycas, Triphaena, Encolpius, et alii qui audiunt absoluti iam iuvenes erant, virilemque aetatem iam adtigisse videntur: oportet ergo ut ea historiola fieret quadraginta, vel plusquam triginta annis antequam narraretur. Ideoque statui potest eam factam fuisse circa vigesimum tertium, aut ante trigesimum tertium Iesu-Christi annum. Sed Auctor Fabellarum novarum eamdem historiolam aliquot tantummodo annis, sex puta vel se-

(1) Differt. de Phaedri vita Phaedri Fabulis ex Perott. MS. praefigend. (2) Cap. 83.
(3) Cap. 100.

septem antequam literis consignaret factam fuisse scribit. Auctor ergo Fabellam scripsit circa trigesimum, vel ante quadragesimum Iesu-Christi annum. Atqui Phaedrus per ista ipsa tempora fabellas scribebat (1), nec alius omnino tum fuit, qui huic Scripturae generi operam daret. Cuius rei ipsemet Phaedrus testis est locupletissimus. Et praeter caetera in Epilogo libri secundi se omnino primum et unicum Latinorum Fabulatorem ostendit (2):

Quoniam occupârat alter (Aesopus) *ne primus forem,*
Ne solus esset studui, quod superfuit,
Neque haec invidia, verum est aemulatio.
Quod si labori faverit Latium meo,
Plures habebit quos opponat Graeciae.

Praeterea sub finem libri IV. universum Fabellarum opus uni sibi et Aesopo tribuit (3):

Sive hoc ineptum sive laudandum est opus,
Invenit ille, nostra perfecit manus.

Tum in Epilogo (4):

Supersunt mihi quae scribam, sed parco sciens;
Primum tibi esse videar ne molestior,
Distringit quem multarum rerum varietas:
Dein si quis eadem forte conari velit,
Habere ut possit aliquid operis residui.

Et de quinto libro suarum Fabellarum haec ad Particulonem scribens ait (5):

Quum destinassem operis habere terminum,
In hoc ut aliis esset materiae satis,
Consilium tacito corde damnavi meum.
Nam si quis etiam talis est tituli artifex;

(1) V. Differt. nostram cit. C. II. §. 10. 11. nuper cum Phaedri Fabul. ex MS. Per. editam. (2) V. 5.
(3) Fab. 20. v. 8.
(4) V. 1.
(5) Prolog. v. 1.

Quo pacto divinabit quidnam omiserim,
Ut illud ipsum cupiat famae tradere?

Et paucis interiectis de suo libello:

Hunc obtrre si ectavolet malignitas,
Imitari dum non possit, obtrectet licet.

Igitur quae superiori Dissertatione de Auctore Fabellarum novarum commodis, ut puto, gravibusque momentis fuerant constituta, novo isto argumento ex Phaedri et Arbitri aetate desumto etiam atque etiam firmantur, et tenere maiore fiducia possumus, atque fidenter quoque praedicare Phaedrum esse auctorem Fabellarum novarum.

FINIS.

INDEX RERUM PRAECIPUARUM.

A

B

C

Hein-

R

S

Te-

T

EMENDANDA.

Pag. LVI. lin. 10. *tothurno*. Leg. *cothurno*.
LVIII. lin. 16. *Scriptoris et Comici iam tum illustris*. Leg. *de Scriptore et Comico iam tum illustri*.
LXI. lin. 8. *Odem*. Leg. *Oden*.
LXXXVIII. lin. 25. *abiudicavit*. Leg. *adiudicavit*.
CIX. lin. ult. *fueris*. Leg. *fuerint*.
CXLII. *Aschine*. Leg. *Aeschine*.
CLXXVI. lin. 18. *Insolens*. Leg. *insolentem*.
CCXXI. lin. 7. *aextimasse*. Leg. *aestimasse*.
CCXXIV. lin. 15. *Imporatorem*. Leg. *Imperatorem*.
CCXXVIII. lin. 4. *Ipsu*. Leg. *Ipsâ*.
CCLIX. lin. ult. *Videri*. Leg. *Viden*?
CCLX. lin. 9. *Duo*. Leg. *duae*.
CCLXXXVIII. lin. 24. *Indicem*. Leg. *iudicem*.
CCXCIII. lin. 9. *eptum*. Leg. *aptum*.
CCXCVI. lin. 30. *Locum*. Leg. *locus*.
CCCIII. lin. 11. *Stratagemmate*. Leg. *stratagemate*.
CCCXX. lin. 20. *trium*. Leg. *tribus*. lin. 27. *An de Herculaneo*.







